DE SPIRITVALI MANDVCATIONE CORPORIS CHRISTI ET Spirituali potu Sanguinis ipsius in Sacra Cœna Domini.

Theologica & Scholastica Tractatio.

AVCTORE ANTONIO SADEELE.

EDITIO SECVNDA.

Excudebat Ioannes Le Preux.

cIↃ IↃ x c.

DE
SPIRITVALI
MANDVCATIONE

ILLVSTRISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPI ac Domino, D. Friderico, Comiti Palatino ad Rhenum, Duci Bauariæ, &cæt. Electoratus heredi, Domino suo Clementissimo: Salutem per Iesum Christum Dominum nostrum.

ILLVSTRISsime & Potentissime Princeps, Clementissime Domine: Quum Esaias Regum & Esa. 32.

Principum officium variis similitudinibus adumbraret, ait eos esse tanquam perfugium, aduersus procellas atque tempestates: & instar excelsæ rupis cuius vmbra latè diffusa nimios ardores Solis repellat. Atque hæc Prophetæ sententia debet pijs omnibus Principibus identidem ante oculos versari: vt eos ad obeundum munus præstantissimum ipsis à Deo Opt. Max. impositum reddat diligentiores. Sic enim futurum est vt (quod idem Propheta alio loco dicit) Principes sint Ecclesiæ nutritij: quippe quam assiduis ærumnis vexatam suo præsidio foueant, & ei variis impiorum machinis concussæ suam auctoritatem suffulciant. Et verò, non modò hæc ætas sed posteritas etiam ipsa Germaniæ laudes prædicabit,

Esa. 49.

quòd

quòd postremis hisce temporibus, iisdémque perturbatissimis, produxerit Illustrissimos ac Præstantissimos Principes, qui Ecclesiæ Christianæ è tenebris Pontificijs emergenti suam operam verè Christianam, piúmque studium nauarent. Inter quos video Illustrissimam Comitum Palatinorum familiam, tanquam lumen aliquod clarissimum elucere: atque adeò Vestram Celsitudinem, quam Dominus ab meúte ætate sibi consecratam donis longè maximis quotidie exornat. Nimirum præclarè cum illis Ecclesiis agitur, quæ suos Principes, à teneris, vt aiunt, vnguiculis, syncero Euangelicæ Veritatis lacte, in ipso quasi pietatis gremio fouent atque alunt: vicissim (vt ad Esaiam redeamus) ab illis ipsis Principibus nutritijs,

alumnisque sustentandæ. Hæc ego Illustrissime & Potentissime Princeps, Vestræ Celsitudini commemoro, vt eam iam sua sponte satis incitatam adhorter ad considerandas, & magis magisque meditandas summa Dei Optimi Maximi erga se beneficia, atque hoc imprimis, quòd eam à teneris annis, voluerit imbutam esse, tum purioris Religionis Doctrina, tum præclaris formandorum morum Institutis. Qua in re, quantum Vestra Celsitudo, Illustrissimo ac Potentissimo Principi ac Domino Dom. Ioanni Casimiro Patruo, vel potiùs alteri Parenti, debeat, spero satis eam (siquidem id satis fieri possit) agnoscere. Is enim Vestræ Celsitud. curam animo verè paterno ita complexus est, vt nihil eorum prætermiserit quæ sunt ad

Opti-

Optimi & Christiani Principis Institutionem necessaria. Idcirco Viros darissimos & probatissimos conquisiit quibus vestram tum pueritiam, tum adolescentiam instituendam traderet: quum censeret, summam & omni laude dignissimam Maiorum vestrorum pietatem, probitatémque, per vos etiam posteris esse propagandam. Equidem illos existimo scitè & verè loquutos, qui dixerunt: Benè dominari, esse artem artium & scientiam scientiarum: quippe quum non satis sit, esse Principem, nisi Principem agat, hoc est, ea præstet quæ digna sunt & nomine Principis, & dignitate. Ad hanc igitur bene dominandi scientiam qui vestram Celsitudinem præparent & forment: &, quod caput est, eam excolant pieta-

Naz. Apolog. 1. Chrys. in 2. Corint. homil. 15.

tis doctrinâ (quam ego scientiam scientiarum appello) habetis cùm multos alios Nobiles ac Præstantes viros, tum Nobilem Otthonem à Grumrad, Virum singulari pietate atque eruditione: cui de præclaris ipsius erga Vestram Celsitudin. laboribus, ipsa posteritas gratulabitur: atque etiam de fructibus ex illius semente suo tempore percipiendis, gratiam habebit. Quum autem Vestra Celsitudo tum alia omnia Religionis Christianæ capita: tum ipsam de Sacra Domini Cœna doctrinam ita perspectam habeat, vt non ita pridem in magno Principum, Nobilium & Theologorum conseſſu, de hoc argumento, sanctè & copiosè adeóque supra ætatem disseruerit: ea nos ratio adhortata est, vt nostrum hunc Tractatum, de Spiritu-

quali Manducatione Corporis Christi, Vestro nomini dicaremus. Neque id à nobis eo consilio factum est, vt Vestram Celsitudinem edoceremus: quippe iam earum rerum quæ à nobis exponuntur cognitione instructam, cùm ab Ephoris Vestræ Celsitudin. viris clarissimis, tum à Doctissimis celeberrimísque Theologis quibus abundat inclita Academia Heidelbergensis: Sed tantùm voluimus hac ratione testatum esse, nos ei doctrinæ subscribere quæ Vestræ Celsitudini ex Verbo Dei tradita est, & quam Reformata ac verè Orthodoxa Ecclesia profitetur. Deinde: quum Ecclesiæ Gallicæ plurimùm debeant Illustrissimis Vestræ Celsitud. Maioribus, atque imprimis Illustrissimo ac Potentissimo Principi ac Domino D. Ioanni Casimiro. Vestr. Celsitud. Pa-

tis doctrinâ (quam ego scientiam scientiarum appello) habetis cùm multos alios Nobiles ac Præstantes viros, tum Nobilem Otthonem à Grunrad, Virum singulari pietate atque eruditione: cui de præclaris ipsius erga Vestram Celsitudin. laboribus, ipsa posteritas gratulabitur: atque etiam de fructibus ex illius semente suo tempore percipiendis, gratiam habebit. Quum autem Vestra Celsitudo tum alia omnia Religionis Christianæ capita: tum ipsam de Sacra Domini Cœna doctrinam ita perspectam habeat, vt non ita pridem in magno Principum, Nobilium & Theologorum conseſſu, de hoc argumento, sanctè & copiosè adeóque supra ætatem disseruerit: ea nos ratio adhortata est, vt nostrum hunc Tractatum, de Spiritu-

quali Manducatione Corporis Christi, Vestro nomini dicaremus. Neque id à nobis eo consilio factum est, vt Vestram Celsitudinem edoceremus: quippe iam earum rerum quæ à nobis exponuntur cognitione instructam, cùm ab Ephoris Vestræ Celsitudin. viris clarissimis, tum à Doctissimis celeberrimisque Theologis quibus abundat inclita Academia Heidelbergensis: Sed tantùm voluimus hac ratione testatum esse, nos ei doctrinæ subscribere quæ Vestræ Celsitudini ex Verbo Dei tradita est, & quam Reformata ac verè Orthodoxa Ecclesia profitetur. Deinde: quum Ecclesiæ Gallicæ plurimùm debeant Illustrissimis Vestræ Celsitud. Maioribus, atque imprimis Illustrissimo ac Potentissimo Principi ac Domino D. Ioanni Casimiro. Vestr. Celsitud. Pa-

truo (quorum omnium plurima & maxima erga nostras Ecclesias merita extiterunt) volui hoc monimento Vestræ Celsitud. dicato gratum Ecclesiarum nostrarum animum profiteri. Huc accedunt longè maxima Vestrarum Celsitudinum priuatim erga me & meos beneficia: non tantùm quòd Vestræ Celsitudin. nos benignissimè excipere dignatæ sint: sed vnum etiam ex meis liberis (qui planè vobis est deditus & addictus) voluerint in Aula vestra inter domesticos honorificè educari: ac proinde tot tantísque beneficijs, nos omnes sibi in posterum deuinxerint, perpetuam ac summissam obseruantiam, omniáque studia atque obsequia Vestris Celsitudin. præstituros. Peto igitur à Vestr. Celsitud. vt nostrum labo-

rem

ius, quantuluſcunque eſt, & hoc meum munuſculum, tanquam noſtræ erga ipſam perpetuæ obſeruantiæ pignus, accipere dignetur, atque illud pro ſua clementia æqui bonique faciat. Porrò noluimus quicquam præfari de huius argumenti quod tractamus præſtantia & fructu: cùm enim hæc res Veſtræ Celſitud. ſatis perſpecta ſint: tum quædam eò ſpectantia à nobis ſtatim in primo Cap. proponuntur. Hoc tantùm addam: me ante aliquot annos iecisſe fundamentum huiuſce Tractationis: quum emitterem Theologicam & Scholaſticam Diſputationem De Veritate Humanæ naturæ Ieſu Chriſti: quo fundamento nititur præſens Diſputatio dicata Veſtræ Celſitud. De Spirituali Corporis Chriſti manducatione: vt in-

telligamus, quem in finem Aeternus Dei Filius naturam nostram assumpserit, nimirum, vt ea ratione, spiritualis aeternaq; vita ab ipso Christo vero Deo & vero Homine ad nos dimanaret. Sequitur altera Disputatio de Sacramentali Manducatione, quam offero Illustriss. Principi Mauritio Landgravio Vestræ Celsitud. Consanguineo. Nam mihi conuenire visum est, vt duo illa argumenta arctissimè inter se cohærentia, sub duorum Principum non modò consanguinitate, sed etiam ætate, ingenij præstantia & pietate coniunctissimorum nominibus in lucem prodirent. In his autem duobus libellis, ex nostra methodo, breuiter & Theologica simul & Scholastica Tractatione, ea omnia comprehendere sum cona-

conatus, quæ de ſanctiſſimo hoc myſterio, Theologi huius ætatis celeberrimi copioſè & variè diſputarunt. Quodquidem meum inſtitutum ſpero non improbatum iri ab ijs omnibus qui ſunt Theologicæ veritatis magis ac magis confirmandæ ſtudioſi.

Bene ac felicitèr vale Illuſtriſſime & Potentiſſime Princeps: Deus Optim. Maxim. cuius ineffabili ſapientia Reges regnant & Principes dominantur (inquit Solomo) Veſtram Illuſtriſſ. Celſitudinem non ſolùm annis augeat: ſed ſimul etiam omnibus ſui Spiritus donis rerúmque omnium felici ſucceſſu, paterna benedictione locupletet. Itémque Illuſtriſſimum ac Potentiſſimum Veſtræ Celſitud. Pa-

truum atque adeò alterum Parentem non tantùm Celsitudini Vestræ : sed etiam pijs omnibus Euangelicæ veritatis progressum exoptantibus, salvum, felicem, & incolumem diutissimè conseruare velit.

Ex Musæo nostro. Kal. Mart. anno Domini M. D. LXXXIX.

Illustriss. Vestræ Celsitudinis obseruantissimus.

A. SADEEL.

Errata sic corrigenda erunt.

DE SPIRITVALI MANDVCATIONE *corporis Christi & Spirituali potu Sanguinis ipsius in Sacra Domini Cœna.*

CAPVT I.

SANCTISSIMVM dominicæ Cœnæ mysterium non immeritò bonorum omnium caput Chrysostomus appellauit. Sic enim Dominus noster ac Seruator Iesus Christus testatum voluit, se non tantùm sua, verùm etiam seipsum fruendum iis dare, quos ipse, efficacitate sui Spiritus, tãtarum rerum capaces reddit. Nam (vt rectè Veteres censuerũt) cùm de sua carne spiritualiter manducanda, & de suo sanguine spiritualiter bibẽdo, multis grauissimisque verbis disseruisset: tandem externum Sacramentum instituit, quo spiritualis

In Matth. hom. 83.

Aug. de cõsens. Euang. lib. 3. cap. 1. Idem cõtr. aduer. Leg. & Prophet lib. 1. cap. vl.

manducationis, & spiritualis potus, expressa quædam effigies ante oculos proponeretur, & (vt aliquando loquutus est Augustinus) ipsa Christi de spirituali mãducatione & potu verba, quodammodo aspectabilia redderentur. Tanta tamen fuit (instigante proculdubio Satana) corruptorum hominum peruersitas, vt clarissimam hanc diuinæ doctrinæ lucem, aut intueri neglexerint, aut conati sint humanis somniis & commentis, tanquam offusis tenebris, obscurare. Atque (vt Anabaptistarum furores, potiùs quàm errores, ab ipsis disputationis Theologicę cancellis procul arceantur: qui Sacramenta à Christo instituta nihili faciunt, eáque putant esse tantum puerilia quædam rudimenta, Christianis præceptoribus satis inutilia) duo sunt potissimum hominum genera quorum errores à nobis, Theologicis disputationibus, amouendi sunt: vt præstantissimum hoc Sacramentum, ex ipsius Christi institutione sanctare, & fructus vberrimos ex eo percipere possimus. Nã præter monachos Transubstantiatores qui veram ipsius Christi cum piorum animis coniunctionem negant, exorti sunt nonnulli, qui putant sacram Dominicam Cœnam esse tantum symbolum Christianæ religionis, & commemorationem Mortis Christi, & beneficiorũ eius: nec in Cœna Domini vllam esse præsentiam Corporis & Sanguinis ipsius. Alij in contraria hyperbolen

Cont. Faust. Manich. lib. 19. c. 16.

verbolen delapsi, sacris symbolis penitus adimelcunt, & verum ac naturale Christi Corpus & Sanguinem, vel sub specie Panis & Vini, vel in ipso Pane & Vino quærendum & percipiendum esse existimãt. Aduersus priorem illum errorem nostra hæc instituta est disputatio: ex qua etiam refutabitur eorum calumnia, qui nobis obiectant, quòd præsentiam Christi in S. Cœna tollamus, nudis signis contenti. Sequetur altera: in qua posteriorẽ hunc errorem itidem ex Dei verbo redarguemus.

Antequam autẽ longiùs prouehamur: cùm accuratas Tractationes à capite arcessẽdas esse plerique doctissimi censuerint: peto à Christianis Lectoribus, vt in memoriam reuocent superiorem nostram disputationem, de Veritate Humanæ naturæ Iesu Christi: quod fundamentum fuit à nobis iactum, cùm huius, tùm proximæ sequẽtis disputationis. Etenim cùm agatur de manducãda Christi Carne, & de bibendo eius Sanguine: eccui dubium esse possit, ita postulante rei natura atque ordine, huic Tractationi, veritatem ipsius Carnis & Sãguinis Christi esse subiectam? Initiis igitur ita constitutis: ab hoc fonte, hoc est, à Veritate Carnis & Sanguinis Iesu Christi, adeóq; Humanæ ipsius naturæ, manabunt illa propemodum omnia, quæ de Manducatione tam spirituali, tum Sacramẽtali Theologicè & Scholasticè disserẽmus.

Huius Tractatus cũ superiori Tractatu, de Veritate humanæ naturæ Iesu Christi coniunctio.

Nam (vt in rem præsentem veniamus) qui negant in Sacramẽto Cœnæ Dominicæ Christum ipsum, cum suis donis ac beneficiis nobis exhiberi, illi non satis perspectam habent Humanæ Christi naturæ veritatem. Num enim Æternus Dei Filius propter seipsum Humanam naturam assumpsit in vnionem Personæ? Minimè gentium: Sed propter nos: Assumpsit, inquam, naturam nostram, vt nos secũ omnino cõiungeret: nimirum vt spirituali eodémque arctissimo vinculo cum eo deuincti, ex ipso vitam hauriamus. Sicut in Adam omnes moriũtur (inquit Apostolus) ita in Christo omnes viuificabũtur. Cedò verò, ecquid sit causæ quamobrem in Adamo moriamur. Nonne quia stirpis origine cũ eo cõnectimur? Quemadmodum ergo mors Adami ad nos permanat, quia cum Adamo coniungimur naturali cõmunione: ita vita Christi ad nos permanat, quia cum Christo coniungimur supernaturali communione: quemadmodum copiosius in sequentibus erit nobis demonstrandum. Hæc autem oportuit ex integra disputatione delibari, vt nostra hac de re sententia facilius intelligatur.

1.Cor.15.

Iam ergo (vt illud Tertulliani vsurpemus) certis quasi lineis quæstionem ipsam determinemus: & primùm nostram: deinde Aduersariorum sententiã proferamus. Nostra, hoc est, Orthodoxa ac verè Christiana sententia hæc

Omnes verè Christiani S. Cœnæ Domini ex ipsius instituto communicantes, manducant Corpus & bibunt Sanguinem Iesu Christi spiritualiter, efficacitate sancti Spiritus, per fidem, ex sacris symbolis verbum Dei obsignantibus, magis magisque confirmatam: & sunt illius Corporis & Sanguinis, adeóque ipsius Christi θεανθρώπου verè participes, ac proinde eorum omnium bonorum quæ Christus sua morte & obedientia nobis comparauit, ad vitam æternã, animíque & corporis cumulatißimam felicitatem assequendam. Hanc nostram sententiam paulò fusiùs explicemus, & ex legibus rectè disserendi singula eius membra discutiamus.

Orthodoxa sententia de spirituali manducatione.

Orthodoxa sententia Analytica explicatio.

Subiectum superioris enuntiati est eiusmodi. *Verè Christiani S. Cœnæ D. ex ipsius instituto & cum vera fide communicantes.* Christianos dicimus: vt ab hoc mysterio remoueamus Ethnicos & infideles, cuiusmodi hodie sunt Iudæi, Turcæ & quotquot ipsum Christi nomen exosum habent. Verè Christianos dicimus: ne videamur Christum & ipsius dona communicare, vel improbis & apertè sceleratis hominibus, nihílque Christiani, præter Christianum nomen habentibus: vel hypocritis, qui, licet fidem & pœnitentiam prę se ferant, sunt tamen, & vera fide, & syncera pœnitentia destituti. Huc etiam spectat quod addimus de communicatione quæ fit cum vera fide: quibus etiam verbis significamus modum & rationem hu-

Subiectum.

iuſce communicationis: ne fortè Capernaitarum ſimiles, craſſum aliquid in hoc myſterio cogitemus. Denique facimus mentionem inſtituti Chriſti: vt ſacroſanctum Cœnæ myſterium, nō ex humanis commentis, ſed ex Chriſti præcepto, purè & ſanctè celebremus. Atq; hæc de ſubiecto pro ratione huius loci nobis dicta ſint.

Attributū. Attributum eſt huiuſmodi, *Manducant ſpiritualiter corpus Chriſti, & bibunt ſpiritualiter eius ſanguinem*, &c. Huius attributi membra

De vocabulo Māducandi. ſingula iam expendo. Verbum, *Manducandi*, per ſimilitudinem hîc vſurpatur: non autem in ſignificatione propria, quemadmodum vocabulū, *Spiritualiter*, ſatis indicat. Eſt igitur adhibenda diſtinctio inter Corporalem & Spiritualem manducationē. Nec enim magis poteſt corpus, ſpiritualiter, quàm animus, corporaliter, manducare. Atque vt, detracta ſimilitudinis veſte, rem ipſam, quoad eius fieri poteſt, nudam contemplemur: primùm omnium euoluenda eſt homonymia vocabuli: quandoquidem qui tradunt artem peritè diſſerendi, rectè cenſent μὴ διαλεκτέον ταῖς μεταφοραῖς. Et

Aug. de ſerm. D. in monte, lib. 2. c. 22.

De doctrina Chriſt. lib. 3. Auguſtinus: Cauendum eſt, inquit, ne figuratam dictionem ad literam accipias: ad hoc enim etiam pertinet quod ait Apoſtolus, litera occidit, ſpiritus autē viuificat. Quum enim figuratè dictum, ſic accipitur, tāquam propriè dictū ſit, carnaliter ſapitur, &c. Ea demum eſt miſe-

miserabilis animæ seruitus, signa pro rebus accipere, & supra creaturam corpoream oculum mentis, ad hauriendum æternum lumen, leuare non posse. Hæc Augustinus. Sed longè gratius est quod Christus ipse de manducāda sua carne ac de bibendo suo sanguine disserens, *Verba*, inquit, *quæ loquor vobis, spiritus sunt, & vita sunt*. Quinetiam in illo ipso loco, sublata vocabuli homonymia, exponuntur ipsa *manducandi & bibēdi* vocabula, de arctissima Christi nobiscum communione: vt perspicuum est ex his verbis: *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinē, in me manet & ego in eo*, inquit Christus. Nimirum quia nullius rei tanta nobiscum est coniunctio, quàm cibi & potus sumpti: & nihil æquè nostrum est, atque id quod manducamus & bibimus. Huius igitur similitudinis analogia est in vita. Cùm enim in Christo vitam spiritualem & æternam habeamus, hinc oblata est similitudinis occasio: in qua cibus terrenus, quo vita præsens sustentatur, respondet cibo cœlesti, quo fideles aluntur in vitam æternam. Quæ res proposito Diagrammate faciliùs elucescet. Ioan. 6.

Vita præsens & corporalis.	Vita æterna & spiritualis.
Generamur ad vitam præsentem.	Regeneramur ad vitam æternam.
Vita corporalis cibo & potu sustentatur.	Vitæ spiritualis alimētum Christus est, cum suis donis ac beneficiis.

Alimẽta tranſeunt in corpus per manducationem corporalem.	Chriſto arctiſſimè coniungimur per manducationẽ ſpiritualem.
Corpus habet ſuum os, quo cibum & potum percipit.	Animus habet ſuum os, nempe fidem, qua ſanctiſſimum alimentum corporis & ſanguinis Chriſti percipit.
Vis & facultas naturalis concoquit cibum & digerit, vt alimentum per vniuerſum corpus permeet.	Efficacitas Spiritus ſancti fidem in nobis ingenerãs, ita potenter in animis noſtris operatur, vt nos viuificet per Chriſtum nobis arctiſſimè coniunctum.

Ex ſuperiori Diagrammate ita concludamus. Quemadmodum, vt corpus alatur pane & vino, non ſatis eſt, panem & vinum conſpicere, ſed omnino in ventriculum demittantur neceſſe eſt, & vnum aliquid nobiſcum fiant (tunc enim viuificam panis & vini facultatem perſentimus) Ita etiam, vt anima noſtra foueatur in vitam æternam, non ſatis erit Chriſtum procul intueri, eúmq; leui quadam animi cogitatione ad umbrare: ſed Chriſtus manducandus eſt, hoc eſt, vera fide nobiſcum arctiſſimè coniungendus, vt noſter factus, viuificam ac ſpiritualem alendi facultatem in animos noſtros infundat. Item: quemadmodum corpora noſtra, quandiu adoleſcimus, non tantùm ex alimentis ſuſtentantur, verumetiam inde ſingula membra percipiunt incrementũ ſibi conueniens: ita nos ſpiritualiter cum Chriſto capite

pite Ecclesiæ coniuncti, nutrimentum ex eo atque etiam incremẽtum accipimus, donec eadamus in virum perfectum, inquit Paulus. Eph.4.

Duo igitur simul considerãda sunt. Vnum est, arctissima Christi nobiscum coniunctio. Alterum est, illius arctissimæ coniunctionis effectum. Atque hæc duo considerari possunt ex causa συνεχοῦς, siue continens, & effectum ipsius causæ: quę licet tempore separari nõ possint, discernuntur tamen ratione.

De corpore Christi & eius sanguine.

Porrò, manducationẽ hanc & hunc potum proximè referimus ad Corpus Christi & ad eius Sanguinem, ex ipsius Christi verbis: non /c quòd, vel Corpus à Sanguine: vel Corpus & /c Sãguinem, ab anima: vel totam Humanã Chri /c sti naturam, ab ipsius Diuina natura dispellamus (quis enim nescit, quod Ioannes docet apertissimè, τὸν λόγον esse vitam ipsam & scaturiginem illius vitæ quæ ad nos per humanam eius naturam dimanat? Diuinitatis participatione in æternũ viuemus, inquit Augustinus.) Sed Christus hac ratione voluit, suam Mortẽ nobis ante oculos versari, quasi ad viuum depictam: quandoquidẽ per eam vita nobis comparata est. Nam, vt Augustini verbis vtamur, Idcirco natus est Christus, vt homo, homines: mortalis, mortales: morte, mortuos liberaret. Etenim morte Christi peccata nostra expiata sunt, oblato perfectissimo sacrificio pro nobis. Solet autem in scripturis tota Christi obediẽ- Ioan.1. 1.Ioan.1. De cõsens. Euang. lib. 4.cap.10. De Doct. Christ. libr. 1.cap.14. Gal.2. 1.Timot.2. Rom.5.

tia vno Mortis vocabulo ſignificati. Propterea Paulus ait in celebratione Cœnæ D. mortis Chriſti memoriam in primis eſſe recolendam. Fit autem mentio Corporis & Sãguinis: cibi, videlicet, & potus: vt ita plenum perfectúmque nutrimẽtum ſpirituale in vno Chriſto, nec vſquam alibi conſtituamus. Atque hęc de vocabulis, *manducandi*, & *bibendi*.

1.Cor.11.

De vocabulo, Spiritualiter.

Addimus vocabulũ, *ſpiritualiter*, non quòd, *ſpiritualiter*, idem ſit nobis, ac fictitiũ, & quod in ſola opinione conſiſtit: nec rurſum id quod eſt tantùm intelligibile: nec etiam quòd Corpus & Sanguinem Chriſti in ſpiritum conuertere velimus: ſed ita loquimur, eò quòd manducatio carnis Chriſti & potus ſanguinis ipſius efficitur operâ Spiritus ſancti, & hoc myſteriũ fide percipitur, quam ipſe Spiritus in animis noſtris ingenerat: denique quia præſtantiſſimum hoc alimentum pertinet ad vitam ſpiritualem & æternam. Manat quidem hoc beneficium ad ipſum quoque corpus, quippe cùm inde mortificetur, ſanctificetur, & tandem aliquando futurum ſit particeps beatæ Reſurrectionis: ſed nihilominus manducationem hãc, non corporalem eſſe dicimus, ſed ſpiritualem: quia myſticum hoc alimentum, non ad tuendam præſentẽ vitam pertinet, ſed refertur ad æternam: quæ quidem vita ſpiritualis dici ſolet, non autem corporalis: licet futurum ſit vt aliquando etiã ipſa corpora vitam illam æternam

nam viuant, quæ propterea Paulus ſpiritualia appellauit. Ex quibus efficitur, verba Chriſti de manducanda ipſius Carne, & bibendo eius Sanguine, intelligēda eſſe de ſpirituali, eadémque arctiſſima coniunctione noſtri cū Chriſto, quæ nobis ſæpe in Scriptura proponitur, & quam Paulus ait, magnum eſſe myſterium: ac proinde longè ſuperat Phyſicas omnes ac naturales coniunctiones. Nam ex vſu loquēdi Scripturæ, quicquid eſt myſticum, idem eſt ὑπερφυσικὸν & ſupernaturale. 1.Cor.15. Ephes.5.

Quæ cùm ita ſint, relinquitur, vt hæc manducatio, & hic potus, hoc eſt, ſpiritualis & myſtica Chriſti nobiſcum, & viciſſim noſtri cum Chriſto coniunctio, ſit planè incomprehenſibilis, & eius modus imperueſtigabilis cenſeri debeat. De rebus autem eiuſmodi, vt difficillimum eſt, adeóque ἀδύνατον planè explicare quid ſint: ita facillimum eſt dicere, quid non ſint. Itaque veritatē huiuſce myſterij credo & adoro: & quid ſit arcana illa piorum cū Chriſto coniunctio nec mente ſatis aſſequi, nec ſatis poſſum oratione exprimere: dicam tamen, neque id dubitanter, hanc non eſſe, vel craſſam, vel corporalem, vel naturalē coniunctionem: ac proinde nec craſſum, nec corporalem, nec naturalem eſſe huiuſce ſacræ coniunctionis modum. Non ſcrutabor quod eſt imperueſtigabile: ſed quæcunque, vel ad rem explicandam, vel ad explicādum ipſius rei modum

proferentur aliena ab hoc myſterio, ea ſemper ab hoc myſterio remouebo: vtpote quæ derogabunt vel Deitati Chriſti, vel Humanæ eius naturę, aut omnino pugnabunt cum ipſius, vel Eccleſiæ, vel Spiritus ſancti, vel Fidei, vel Sacramenti natura. Etenim qui res abſtruſas & perdifficiles aliter exponere nõ poſſunt, quàm euertendo ea, quorum cognitio lucet ex innumerabilibus Scripturæ locis: næ illi, non Scripturæ interpretes, ſed deprauatores habendi ſunt. Sic enim Auguſtinus: Quiſquis, inquit, de quacunque re obſcura id adſtruit vnde id quod veriſſimum, fundatiſſimum, notiſſimum eſt, deſtruat: ſiue ſit ille filius, ſiue inimicus Eccleſiæ, aut corrigendus eſt, aut cauendus. Atq; hæc nobis dicta ſint ad ſententiam noſtram de hoc myſterio faciliùs intelligendam, quæ in ipſo diſputationis curſu copioſiùs etiãnum tractabũtur. Satis enim fuit leuiter hîc, & quaſi remis tantùm ea propellere, quę poſtea plenis velis nobis erunt explicãda. Iam igitur audiamus Aduerſariorum ſententiam.

Cont. 1. epiſt. pelag. lib. 3. & De fid. & oper. c. 15.

Aduerſariorum ſententia de manducatione ſpirituali.

Cœna Domini eſt tantùm ſymbolum Chriſtianæ Religionis, & commemoratio Mortis Chriſti & beneficiorum eius, nec in ipſa Cœna Domini vlla eſt præſentia, nec communio Corporis & Sãguinis ipſius.

Expoſitio illius ſententiæ.

Hanc ſententiam ita illi exponunt. Scripturam ita agere de Sacrificio Chriſti ſemel pro nobis facto: vt nos ad illius Sacrificij fructum reuo-

mocet: & quæcunque dicuntur de Corpore & Sanguine Christi, illa esse intelligenda tantùm de beneficiis Christi & eius donis. Itaque rem significatam pane & vino, non esse Corpus Christi & eius Sanguinem, sed tãtùm beneficia & Merita Passionis ipsius. Nec enim existimant fieri posse, vt vlla cum Christi Corpore & Sanguine cõiunctio nobis intercedat, quin sequatur substantiarum confusio, quam omnes ab hoc mysterio reiicimus. Cõtrouersiæ igitur hæc est: Vtrùm in S. Cœna, res per panem & vinum significatæ & nobis oblatæ, sint Corpus & Sanguis Christi, adeóque Christus ipse fide participandus cum suis donis ac meritis: An verò sola ipsius dona, meritáque significentur, & nobis offerantur, non autem ipse Christus. Prius illud, nos affirmamus: illi verò negant. Posterius hoc illi affirmant, nos negamus. Alterutrum igitur verum esse, necesse est: ex primario illo Axiomate: De quolibet affirmare, aut negare, verum est.

Status cõtrouersiæ.

Velim autem Lectores admoneos, quum, ex Veterum & Recentiorum Theologorum sententia, Christus dicatur etiã extra Cœnam Dominducari, nẽpe in ipso verbo, nos tamen hic imprimis agere de illa manducatione corporis Christi, hoc est, de spirituali & arctissima ipsius Christi nobiscum coniunctione, qua fideles in S. Cœna cum ipso Christo magis magisque deuinciuntur.

Cap. 11.

Disputatio ἀποδεικτικὴ κατασκευαστικὴ.

QVi Christianæ Religionis dogmata Christianè & religiosè tractanda susceperunt, debent hanc egregiam Hieronymi cohortationem semper ante oculos habere propositam. Ascendamus (inquit ille, ad propheticam Aggei concionem alludens) ascendamus in montem rationabilem, & ad singula problemata, congrua de testimoniis Scripturarũ ligna quærentes, præcidamus ea, & ædificemus domum sapientiæ. Nos igitur cohortantem Hieronymum audientes, ex amplissima Scripturæ sylua seligamus eos locos, in quibus imprimis agitur de spirituali mãducatione corporis Christi, & de Spirituali potu sanguinis ipsius, hoc est, de Christi nobiscum arctissima, eadémque incomprehensibili cõiunctione. Sic enim non ex leuibus humanę ratiocinationis stipulis, sed solidis Scripturæ lignis, huiusce sacri dogmatis veritatẽ, quasi sapientiæ domum, nobis extruemus.

In Agg.

Loci scripturæ, de spirituali manducatione Corporis Christi, & de arctissima Christi nobiscum cõiunctione.

Annuntiamus vobis vitam illam æternam quæ erat apud patrem & patefacta est nobis. Quod vidimus & audiuimus, id annuntiamus vobis, vt & vos communionem habeatis nobiscum, & communio nostra sit cum Patre & cum Filio eius Iesu Christo.

1.Ioan.1.

1.Ioan.5.

Est autem hoc testimonium quòd vitam æternam nobis dedit Deus, & hæc vita in Filio eius est.

Qui habet Filium habet vitam: qui non habet filium Dei, non habet vitam.

Fidelis Deus per quem vocati estis in communionem Filij ipsius, Domini nostri Iesu Christi. 1.Cor.1.
Ergo communionem cum Deo per Iesum Christum habẽtes vitam æternã possidemus.

Pater meus dat vobis panem illum verè cælestem. Panis enim ille Dei, is est, qui de cælo descendit & dat vitam mũdo. Ioan.6.
Christus igitur verus Deus & verus homo, vnus idémque θεάνθρωπος, est panis ille viuificus, à quo vita æterna ad nos manat.

Ego sum panis ille vitæ, qui venit ad me non esuriet, & qui credit in me, non sitiet vnquam. Sed dixi vobis: etiam vidistis me, nec creditis. Murmurabant ergo Iudæi de eo quod dixerat: Ego sum panis ille qui de cælo descendit, &c. Ne murmurate inter vos: Nemo potest venire ad me nisi Pater, qui me misit, traxerit eum, &c. Scriptum est in Prophetis, Et erunt omnes docti à Deo. Quisquis ergo audiuit à Patre, & didicit, venit ad me.

Qui credit in me, habet vitam æternam. Ego sum panis illæ vitæ. Patres vestri comederunt Manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis ille qui è cælo descendit, vt qui eo vescitur non moriatur. Ergo Christus panis ille cœlestis ac viuificus, ab iis mãducatur qui sunt verè Christiani & qui vera fide prædiri sunt. *Ego sum panis viuus qui è cælo descendi, si quis ederit ex hoc*

pane, viuet in æternum, & panis quem ego dabo, caro mea est quam ego dabo pro mundi vita. Vita igitur nostra ab ipso λόγῳ scaturiens, per Humanam Christi naturam ad nos diffunditur, in qua nostræ Redemptionis opus peractum est.

Pugnabant ergo Iudæi alij aduersus alios dicentes, Quomodo potest hic nobis carnem suã dare qua vescamur?

Dixit ergo eis Iesus. Amen, Amen dico vobis, nisi ederitis Carnem Filij hominis, & biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.

Qui edit meam Carnem, & bibit meum Sanguinem habet vitam æternam: & ego excitabo illum in vltimo die.

Caro enim mea verè est cibus, & Sãguis meus verus est potus. Ergo vita æterna, est fructus & effectum certissimum huiusce sanctissimæ manducationis.

Qui edit meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in eo. Ergo mãducatio Carnis Christi, & potus Sãguinis ipsius, est arctissima cum ipso Christo coniunctio.

Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo per Patrem: ita etiam qui ederit me, viuet ipse quoque per me. Vt igitur vitam quę in Christo est, habeamus, necesse est vt cum ipso Christo arctissimè coniungamur.

Hic est panis ille qui de cælo descendit. nõ prout comederunt patres vestri mãna, & mortui sunt: qui

ederit hunc panẽ viuet in æternum. Hoc vos
ndit? Quid ergo si conspiceretis Filium homi-
ascendentem eò vbi erat priùs?

Spiritus est qui viuificat. Caro non prodest
quam. Verba quæ loquor vobis, spiritus sunt
vita sunt. Sed sunt quidam ex vobis qui non
dunt. Itaque hæc Manducatio, est Spiritua-
& fit per Eidẽ, efficacitate Spiritus sancti.

Hanc autem sanctissimam & salutarem do-
trinam Christus exprimere & obsignare vo-
luit, instituto S. Cœnæ Sacramento, cõmemo-
rãte Paulo in priore Epist. ad Corinth. II. Do-
minum Iesum accepisse panẽ & gratiis actis,
fregisse ac dixisse, *Accipite, edite: hoc meum est*
corpus quod pro vobis frangitur. hoc facite ad
mei recordationem. Itidem & poculũ postquam
cenasset, dicendo. Hoc poculum est Nouum illud
Testamentum per meum sanguinem, hoc facite
quotiescunque biberitis ad mei recordationem.
Quotiescunque enim ederitis panem hunc & po-
culum hoc biberitis, mortem Domini annuntiatis
vsquequò venerit. Ergo Panis & Vinum sunt
sacra symbola & signa Corporis & Sanguinis
Christi.

Poculum benedictionis cui benedicimus, nónne 1. Cor. 10.
communio Sanguinis Christi est? Panis quem fran 1. Cor. 11.
gimus, nonne communio Corporis Christi est? Quo-
niam vnus panis, vnũ corpus multi sumus. Nam
omnes vnius panis simus participes.

Omnes in vnum spiritum potati sumus. Nobis

igitur esse debet cum ipso Corpore & cum ipso Sanguine Iesu Christi vera communio, vt simus beneficiorum Christi participes. Atque huius sanctissimi mysterij Veteres sub Lege fuerunt participes, vt docet idem Apostolus his verbis.

1.Cor.10. *Nolim vos ignorare fratres, Patres nostros sub illa nube fuisse, & omnes eandem escam spiritualem edisse, & omnes eundem potum spiritualem bibisse: bibebant enim ex sequente spirituali petra. Petra verò erat Christus.* Hæc igitur manducatio spiritualis est.

Porrò nostra cum Christo coniunctio fusiùs etiamnum explicatur in Scriptura, & variis similitudinibus illustratur, vt ex sequentibus apparet.

Ioan.17. *Vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus: Ego in eis, & tu in me, vt sint perfecti in vnum.*

Ioan.14. *In illo die cognoscetis me esse in Patre meo, & vos in me, & me in vobis.* Quare, arctissimè cũ Christo ipso coniungimur, vt perfectam inter nos communionem habeamus.

1.Cor.6. *Qui adhæret Domino, vnus spiritus est.* Hæc igitur coniunctio cum Christo est spiritualis.

Gal.2. *Viuit in me Christus, & vitã quam nunc viuo in carne, viuo per fidem filij Dei.*

Itaque ex arctissima nostri cũ Christo coniunctione vita ad nos dimanat, idque per fidẽ.

Ioan.3. *Deus ita dilexit mundum vt Filium suum vnigenitum dederit, vt quisquis credit in eum non pereat,*

pereat, sed habeat vitam æternam.

Filius datus est nobis. Esa.9.

Christi participes sumus, si modò principium Heb.3.
quo sustentamur, firmum tenuerimus ad finem usque. Ergo Christum nobis datum recipere & eius participes esse debemus.

Si quis Spiritum Christi non habet, is non est Rom.8.
eius: Si verò Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum. Spiritus autem vita est, propter iustitiam. Ergo cum Christo coniungimur spiritualiter, virtute & efficacia Spiritus sancti.

Iam audiamus similitudines quibus sanctissimum hoc mysterium adumbratur, præter similitudinem cibi & potus antè à nobis commemoratam.

Constituit eum caput super omnia ipsi Eccle- Similitudo Capitis.
siæ, quæ est corpus ipsius & complementum eius Eph.1.
qui omnia implet in omnibus.

An ignoratis corpora vestra esse membra 1.Cor.6.
Christi?

Vos estis Corpus Christi & membra ex parte. 1.Cor.12.

Adolescamus in eum per omnia qui est caput, Eph.4.
nempe Christus, ex quo totum corpus congruenter coagmentatum & compactum per omnes suppeditatas commissuras, ex vi intus agente, pro mensura vniuscuiusque membri, incrementum capit corpori conueniens, &c.

Christus caput est Ecclesiæ & seruator corpo- Eph.5.
ris, &c.

Nullus suam ipsius carnem vnquam odio habuit, imò enutrit ac fouet eā, sicut Dominus Ecclesiam: quoniam membra sumus Corporis eius, ex carne eius, ex ossibus eius.

Col.1. *Et ipse est Caput corporis Ecclesiæ*, &c. *Pro corpore ipsius quod est Ecclesia.*

Col.2. *Neque obtinens Caput, ex quo totum corpus, per commissuras & compages suppeditatum & compactum augescit Dei augmento.*

Ex hac similitudine capitis & reliquorum membrorum, efficitur, necesse esse, vt arctissimè cum Christo coniungamur, vt ab eo vita spiritualis ad nos diffundatur. Etenim ea demum ratione corpus à capite viuificatur, quatenus arctissimè cum ipso capite cohæret.

Similitudo coniugij. *Sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita & vxores suis viris. Diligite vxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam.*

Eph.5.

2.Cor.11. *Præparaui vos quos vni viro, vt virginem puram sistam, nempe Christo.*

Ioan.3. *Qui habet sponsam, sponsus est*, &c. *Filij thalami possúntne lugere, quandiu cum ipsis sponsus est.*

Matth.9.

Apoc.21. *Vidi Hierusalem nouam descendentem à Deo è cœlo, paratam vt sponsam ornatam viro suo. Ostendam tibi sponsam vxorem Agni.*

Gal.4. *Sublimis illa Hierusalem libera est, quæ est mater omnium nostrûm.*

Rom.7. *Mulier viuenti viro deuincta est per legem*, &c. *Mortificati estis legi per Corpus Christi: vt*

sitis

sitis alterius: eius videlicet qui ex mortuis excitatus est, vt fructum feramus Deo.

Desponsabo te mihi in sempiternum in iustitia & iudicio, &c. Ose.2.

Astat coniunx ad dexteram tuam ornata auro Psal.45.
ibrizo, &c. Veni de Libano sponsa mea, &c. & to- Cant.4.
tum illud Canticum.

Ex hac Sponsi & Sponsæ similitudine perspicuum est, eos demum frui donis ac beneficiis Christi, qui cum ipso Christo arctissimè coniuncti sunt. Nec enim diuitiæ sponsi, sunt ipse sponsus.

Erunt duo in carnē vnam. Mysterium hoc magnum est. loquor autem de Christo & Ecclesia. Ephes.5.
Ergo coniunctio nostri cum Christo est mystica & incomprehensibilis.

Ego sum vitis vera & Pater meus agricola est, omnem palmitem in me non ferētem fructum tollit, & omnem qui fert fructū, purgat, vt plus fructus afferat, &c. *Similit. ex stirpibus & plantis ducta.*

Manete in me & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite: ita nec vos nisi in me manseritis. Ioan.15.

Ego sum vitis, vos palmites. Is qui manet in me & in quo ego maneo, hic fert fructum multum. nam absque me nihil potestis facere, &c. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quicquid volueritis petite, & fiet vobis.

Sicut accepistis Christum Dominum, ita in eo incedite radicati. Col.2.

Rom.6. *Si cum eo plantati coalumus conformatione Mortis eius, nimirum etiam Resurrectionis conformatione coalescemus.*

Ex superioribus similitudinibus quæ à plātis ducuntur, liquidò cōstat, non solùm, vitam spiritualē à Christo ad nos manare, sed etiam necessariam esse arctissimā nostri cùm Christo coniunctionem, vt eius beneficiis, adeóq; vita spirituali frui possimus. Nec enim palmes potest ferre fructum, nisi manserit in vite, inquit ipse Christus. Cæterùm quantum lucis hic locus afferat ad intelligendam manducationem corporis Christi, facilè videbimus, si conferamus hæc verba: *Manete in me & ego in vobis*: cum superioribus illis. *Qui manducat meam Carnem & bibit meum Sanguinem in me manet, & ego in eo.* Ex quibus verbis perspicuum est Spiritualem hanc & arctissimā cum Christo coniunctionem, longè superare naturales omnes cōiunctiones: ita vt nulla definitione, nullísq; vocabulis satis exprimi possit.

Similit. habitationis. *Vos templum estis Dei viuentis: sicut dixit Deus, habitabo in eis, &c.*

2.Cor.6.

1.Cor.3. *An nescitis vos esse templū Dei, & spiritum Dei habitare in vobis?*

1.Pet.2. *Ad quem accedentes, qui est lapis viuus, ipsi quoque vti viui lapides, ædificemini domus spiritualis.*

Eph.2. *Superstructi super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, cuius imus angularis lapis*

ut est ipse Iesus Christi: in quo totum ædificium congruenter coagmentatum crescit, vt sit templum sanctum Domino. In quo & vos vnà ædificamini, vt sitis habitaculum Dei per Spiritum.

In Christo incedite superstructi in eo. Col.2.

Dei ædificatio estis,&c. 1.Cor.3.

Fundamentum nemo aliud ponere potest præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Ibid.

Quomodo oporteat versari in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei viui, columna & firmamentum veritatis. 1.Timoth.3.

Christus, vt Filius, domui suæ præest, cuius domus sumus nos, si fiduciam & spem de qua gloriamur, ad finem vsque firmam tenuerimus. Heb.3.

Per hoc cognoscimus nos in eo manere, & ipsum in nobis, quòd de Spiritu suo dedit nobis. 1.Ioan.4.

Vt inhabitet Christus per fidem in cordibus vestris. Eph.3.

Vos ipsos tentate an non sitis in Fide, vos ipsos probate. 2.Cor.13.

An non agnoscitis vosmetipsos quòd Iesus Christus in vobis est?

Per hoc nouimus Christum habitare in nobis, 1.Ioan.3.
nempe ex spiritu quem nobis dedit.

Viuificabit etiam mortalia corpora vestra per Rom.8.
inhabitantem Spiritum eius in vobis.

Ex hisce similitudinibus ab ædificio & inhabitandi ratione ductis, Apostoli docuerũt, nos tunc demum esse beneficiorum Christi participes, quum Christo, tãquam fundamen-

to nitimur, & Christus ipse in nobis habitat: hoc est, nobiscū arctissimè coniungitur. Tunc enim firmum est ædificiū, quando fundamento nititur: à quo si vel tātulùm diuellatur, tandem corruat necesse est. Porrò, perspicuū est ex superioribus locis, hanc Christi habitationem in nobis, siue Coniunctionem Christi nobiscum, esse Spiritualē: quippe cùm fiat per Fidem, efficacitate Spiritus sancti. Ad hunc etiam modum inducendi erunt alij Scripturæ loci, quotquot nobis occurrent superioribus locis consimiles. Ex his igitur locis Scripturæ clarissimis, certissimis, firmissimis nostrā ἀπόδειξιν euidentem & necessariam adeóque verissimam, ac proinde verè Theologicam conficiamus.

ΑΠΟΔΕΙΞΙΣ.

Demōstratio collecta ex superioribus Scripturæ locis.

QVicunque per verbum Dei & Sacramēta Euangelica mystico & arctissimo vinculo cum Christo coniunguntur, qui semetipsum obtulit pro nobis, qui est panis cœlestis ac viuificus, caput & sponsus Ecclesiæ, & ex quo tanquam ex radice, vitam spiritualem hąurimus, & qui per Spiritum sanctum & per fidem habitat in cordibus nostris: Ij manducant Corpus & bibunt Sanguinem Iesu Christi spiritualiter, efficacitate S. Spiritus, per fidē ex sacris Symbolis verbū Dei obsignan-

signatibus magis magísque confirmatã,& sunt illius Corporis & Sanguinis, adeóque ipsius Christi θεανθρώπου vere participes, ac proinde eorum omnium bonorum quæ Christus sua Morte & Obediẽtia nobis comparauit, ad vitam æternam, animíque & corporis cumulatíssimam felicitatem assequendam.

Omnes verè Christiani S. Cœnæ Domini // ex ipsius instituto cõmunicantes, per verbum // Dei, & Sacramenta Euangelica, mystico & ar-// ctíssimo vinculo cum Christo coniunguntur, // qui semetipsum obtulit pro nobis, &c.

Quare omnes verè Christiani S. Cœnę Domini ex ipsius Instituto communicãtes, manducant Corpus & bibunt Sanguinẽ Iesu Christi spiritualiter, efficacitate S. Spiritus, per fidem ex Sacris Symbolis, verbũ Dei obsignantibus, magis magísque cõfirmatam: & sunt illíus Corporis & Sanguinis, adeóque ipsíus Christi θεανθρώπου verè participes, ac proinde eorum omnium bonorum quę Christus nobis sua Morte & Obediẽtia comparauit, ad vitam æternã, animíque & corporis cumulatissimam felicitatem assequendam. Id quod erat demonstrandum.

Explicatio demonstrationis.

Huiusce Demonstrationis veritas eluceſcit ex superioribus Scripturæ locis, ipsi Demonstrationi subſtratis: quæquidem continet veram definitionem Attributi, collectam ex eius causis, quas illi ipsi Scripturæ loci nobis sup-

to nitimur, & Christus ipse in nobis habitat: hoc est, nobiscū arctissimè coniungitur. Tunc enim firmum est ædificiū, quando fundamento nititur: à quo si vel tātulùm diuellatur, tandem corruat necesse est. Porrò, perspicuū est ex superioribus locis, hanc Christi habitationem in nobis, siue Coniunctionem Christi nobiscum, esse Spiritualē: quippe cùm fiat per Fidem, efficacitate Spiritus sancti. Ad hunc etiam modum inducendi erunt alij Scripturæ loci, quotquot nobis occurrent superioribus locis consimiles. Ex his igitur locis Scripturæ clarissimis, certissimis, firmissimis nostrā ἀπόδειξιν euidentem & necessariam adeóque verissimam, ac proinde verè Theologicam conficiamus.

ΑΠΟΔΕΙΞΙΣ.

Demōstratio collecta ex superioribus Scripturæ locis.

QVicunque per verbum Dei & Sacramēta Euangelica mystico & arctissimo vinculo cum Christo coniunguntur, qui semetipsum obtulit pro nobis, qui est panis cœlestis ac viuificus, caput & sponsus Ecclesiæ, & ex quo tanquam ex radice, vitam spiritualem haurimus, & qui per Spiritum sanctum & per fidem habitat in cordibus nostris: Ij manducant Corpus & bibunt Sanguinem Iesu Christi spiritualiter, efficacitate S. Spiritus, per fidē ex sacris Symbolis verbū Dei obsignan-

signitibus magis magísque confirmatã,& sunt illius Corporis & Sanguinis, adeóque ipsius Christi θεανθρώπου vere participes, ac proinde eorum omnium bonorum quæ Christus sua Morte & Obediẽtia nobis comparauit, ad vitam æternam, animíque & corporis cumulatissimam felicitatem assequendam.

Omnes verè Christiani S. Cœnæ Domini // ex ipsius instituto cõmunicantes, per verbum // Dei, & Sacramenta Euangelica, mystico & ar- // ctissimo vinculo cum Christo coniunguntur, // qui semetipsum obtulit pro nobis, &c.

Quare omnes verè Christiani S. Cœnę Domini ex ipsius Instituto communicãtes, manducant Corpus & bibunt Sanguinẽ Iesu Christi spiritualiter, efficacitate S. Spiritus, per fidem ex Sacris Symbolis, verbũ Dei obsignantibus, magis magísque cõfirmatam: & sunt illius Corporis & Sanguinis, adeóque ipsius Christi θεανθρώπου verè participes, ac proinde eorum omnium bonorum quę Christus nobis sua Morte & Obediẽtia comparauit, ad vitam æternã, animíque & corporis cumulatissimam felicitatem assequendam. Id quod erat demonstrandum.

Explicatio demonstrationis.

Huiusce Demonstrationis veritas eluceſcit ex superioribus Scripturæ locis, ipsi Demonstrationi subſtratis: quæquidem continet veram definitionem Attributi, collectam ex eius notis, quas illi ipsi Scripturæ loci nobis sup-

peditarunt. Atque in ea ex demonſtrãdi legibus omnia ſunt reciproca: ita vt de veritate ipſius dubitari nõ poſſit, quin ipſa, tum Theologica, tum Scholaſtica fundamenta conuellantur. Etenim, ſi quis huiuſce Demõſtrationis partes omnes accuratè diſpiciat, nihil reperiet abſurdum, nihil repugnans, nihil alienum: ſed omnia conſentanea & earum rerum de quibus agitur naturis conuenientia. Exempli cauſa: hæc ſunt quibus potiſſimum noſtra Demonſtratio continetur.

1. Chriſtus Θεάνθρωπος, verus Deus & verus Homo, Mediator, Pontifex, caput & Sponſus Eccleſiæ, cum ſuis donis, Meritis ac beneficiis.

2. Eccleſia Corpus & ſponſa Chriſti, cũ ipſo magis magíſque coniungẽda, vt eius donis ac meritis perfruatur.

3. Spiritus Sanctus efficaciter operans in animis noſtris, & nos cum Chriſto ſpiritualiter & arctiſſimè coniungens.

4. Fides in nobis à Spiritu Sãcto ingenita, vt ſit vinculũ huius ſpiritualis coniunctionis.

5. Sacramentum Cœnæ Domini, ad confirmandam & augendam fidem, ab ipſo Chriſto inſtitutum.

Hæ partes ſigillatim, earúmque naturæ expendantur, & cum iis noſtra conferatur ſentẽtia: Certè nihil in ea exiſtet, quod cum illis omnibus non planè conſentiat.

1. Agno-

1. Agnoſcimus Deitatem Chriſti: quum hoc myſterium longè ſupra naturæ fines & ſu rerum creatarum ordinem conſtituimus, eque ipſum Chriſtum æternæ vitæ ſcaturigi- em eſſe declaramus. Agnoſcimus etiam Hu- anæ Chriſti naturæ veritatem: dum non in- itam, aut diffuſam, aut incircunſcriptam aut ab vanis accidentibus latitãtem: ſed eam tan- ùm in cœlo cõtemplamur, prædităm dimen- ionibus & qualitatibus corporis glorioſi: duas in vna Perſona naturas neque ſeparantes, ne- que confundentes, neque aliquid proponẽtes quod ipſarum veritati repugnet.

2. Agnoſcimus veram Eccleſiæ naturam: quum eam dicimus eſſe cum Chriſto vera fi- de arctiſſimè & ſpiritualiter coniungendam, ut ab eo vitam hauriat.

3. Agnoſcimus Spiritum Sanctum ſan- ctiſſimæ huius & myſticæ coniunctionis effi- cientem & ἐνεργουμένην, qualem Scriptura nobis deſcribit.

4. Agnoſcimus verã vim fidei: cùm eam nullis, vel locorum vel temporum ſpatiis, in- tercluſam eſſe dicimus.

5. Agnoſcimus veram Sacramenti natu- ram & verum eius vſum: quum ſacra Signa à

Christo instituta plurimi facimus: neque tamẽ in illis subsistimus, sed ad res Significatas vera fide assurgimus: Veritatem à Signo non diuellentes, nec Signum cum veritate confundentes aut crassè coniungentes.

Quomodo sententiæ quæ circumferuntur de Cœna D. sint explorandæ, vt verum à falso facilè diiudicetur.

His itaque discussis, affirmamus, sentẽtiam nostram niti firmissimo veritatis fundamẽto. Peto igitur à Christianis Lectoribus, per ipsius Christi nomen, de cuius sanctissimo mysterio hîc agitur, vt ad hunc modum expendãt & explorent omnes sententias quæ de S. Domini Cœna circunferuntur: & confido fore, vt adhibito hoc verè lydio lapide, facilè, οὗτοι θεοί, verum à falso diiudicent.

Sed iam ex ordine ac methodo nostræ disputationis, posteaquàm veritatem nostræ sententiæ & (vt ad Hieronymum redeamus) sapientiæ domum certissimis fundamentis subnixam, nobis extruximus, diruendus est error oppositus huius Christiani dogmatis veritati.

Caput iii.

Disputatio ἐλεγκτικὴ. Cont. Idol.

Situm est quod aliquando dixit Athanasius: Depulsis mendaciis, veritatem magis magísq; relucere. Vt ergo superioris Demonstrationis veritas magis reluceat, operæpretium est ea mendacia depellere, quæ sententiæ à nobis ex Dei verbo propositæ aduersantur: præsertim cùm ad asserendam

dam veritatis cognitionē, Prima Philoſophia inprimis commendet ἐλεγκτικῶς ἀποδεῖξαι.

Proferamus igitur argumenta noſtræ ἀναπαστικῆς & ἐλεγκτικῆς Diſputationis.

ARGVMENTVM I.

OMne dogma quo negatur id quod Scriptura affirmat, & id excluditur quod Scriptura includit, eſt ἑτερόδοξον, ac proinde ab Eccleſia exterminandum.

Hoc dogmate, quod eſt huiuſmodi: Cœnam Domini eſſe tantùm ſymbolum Chriſtianæ Religionis & commemorationem ac ſignaculum Mortis Chriſti & beneficiorum eius, nec in ea vllam eſſe communionem Corporis & Sāguinis ipſius. Hoc, inquam, dogmate negatur id quod Scriptura affirmat: & id excluditur quod Scriptura includit.

Hoc igitur dogma eſt ἑτερόδοξον, ac proinde ab Eccleſia exterminandum.

Confirmatio ſyllogiſmi.

Maior propoſitio eſt perſpicua: quia Scriptura eſt menſura noſtræ fidei, ac propterea eſt μέτρον noſtræ, vel affirmationis, vel negationis. Nam id quod repugnat Scripturæ (inquit Auguſtinus) verum eſſe non poteſt.

De 8. Dulcit. quæſt.

Minor propoſitio ita probatur. Certū eſt, Scripturā verbis expreſſis affirmare, in S. Do-

mini Cœna esse communionem Corporis &
1.Cor.10. Sanguinis ipsius. *Poculum benedictionis cui benedicimus, nonne communio Sanguinis Christi est? Panis quem frangimus, nõne communio corporis Christi est?*

Luc.22. *Accipite & manducate: hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.*

Atide quæ Christus de re ipsa Sacramenti
De cõsens. Euang. lib. 3.c.1. ac de toto hoc mysterio disseruit: &, vt Augustinus verbis vtar, multò vberiùs loquutus est.

Ioan.6. *Caro mea verè est cibus, & Sanguis meus verè est potus. Qui mãducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem in me manet, & ego in eo.* Et plerique loci consimiles antè iam à nobis inducti, in quibus agitur de arctissima Christi nobiscum coniunctione.

Obiectio. Quòd si quis fortè nobis occurrat hac ratione, quod in permultis Scripturę locis à nobis suprà commemoratis, non fiat mẽtio nominatim de Sacramento Cœnæ Domini: ille non nostram euertet, sed magis ac magis confirmabit sententiam. Etenim si quum ego vera fide promissiones Euãgelicas amplector, tum fio particeps Iesu Christi θειας δοσεως. (Sic enim Apostolus de doctrina Euangelij
Heb.3. disserens: *Christi participes facti sumus, si modò principium illud quo sustentamur firmum tenuerimus.*) Si, inquam, per illam ipsam fidem, habeo veram communionem cum eo, &, vt corpus

pus capiti, sponsa sponso, palmes viti, surculus trunco, ita ego, atque etiamnum longè melius & arctiùs, cum Christo cohæreo: quippe cùm in me maneat, & ego in illo: (quorũ omnium firmissima testimonia iam audiuimus in superiori proximo cap.) obsecro te, si extra Sacramentum id potest fides, operante Spiritu sancto: quantò id magis poterit, quum ad prædicationem verbi & ad Euangelij promissiones accedent Sacra symbola ab ipso Christo in eum finem instituta, vt ipsæ etiam promissiones efficaciùs in animis nostris sanciantur? Quid? Paulus tum etiam quum non versaretur in Sacra Cœnæ Dominicæ actione, potuit verissimè ita exclamare: *Vivo autem, non amplius ego, sed vivit in me Christus.* Item: *Membra sumus Corporis eius, ex carne eius & ex ossibus eius.* Item: *Erunt duo in carnem vnam: Mysterium hoc magnum est, loquor autem de Christo & de Ecclesia:* & accedente Sacramẽto, scilicet, obmutesceret? Aut igitur negent plànè vllam esse Christi nobiscum communionem necesse est, (atque ita negabunt quod Scriptura verbis dilucidis & expressis affirmat) aut fateantur, illam ipsam cõmunionem fieri cum fidelibus arctissimam in sanctissimo Cœnæ Domini Sacramẽto. Atq; ita esse, rebus necessariis addicemus, proposito hoc Syllogismo. Gal. 2. Eph. 5.

Vbicunque amplior est & maior tum pro-

» missionum Euangelicarum exhibitio, tum fi-
» des promissiones ipsas amplectens: ibi quoq;
» est amplius & maius effectum vtriusque. (Id
» quod patet ex ipsis naturalibus principiis.)
» In sacra Domini Cœna (siquidem ea syn-
» cerè & legitimè vtamur) amplior ac maior est
» tum promissionum Euangelicarum exhibitio,
» tũ fides promissiones ipsas amplectens. (Quia
ad prædicationem accedunt sacra symbola à
Christo propterea instituta, vt fides nostra cõ-
firmetur & promissiones Euãgelij magis ma-
gis magisque per fidem in animis nostris san-
ciantur: & illi ipsi agnoscunt, Sacra symbola
esse signacula: quæ frustra à Christo adhibita
fuisse, absit vt dicant.)
» Quare, in Sacra Domini Cœna, amplius est
» ac maius effectum vtriusque, videlicet exhibi-
» tionis promissionum Euangelicarum, & fidei,
» promissiones ipsas amplectentis.

Iam autem à nobis demonstratum est, hoc esse effectum vtriusque, nempe vt spiritualiter & mysticè atque adeò arctissimè cum Christo θεανθρώπῳ vero Deo ac vero Homine coniungamur.

Porrò, vt magis appareat, quàm istorum opinio dissentiat à Scriptura, nusquam reperias in sacris literis, Mortem Christi esse manducandam, sed Corpus ipsius, adeóque Christum ipsum esse manducandum: vt constat ex his locis: *Caro mea verè est cibus, & Sanguis*

Ioan. 6.

meus

bus verè est potus. Ego sum panis vitæ: si quis ederit ex hoc pane viuet in æternum. Qui ederit me, viuet per me, &c. Neque id sanè immeritò. Nam (vt in similitudine manducandi maneamus) nemo satis rectè dixerit, vim alendi quæ est in pane, sine ipso pane à nobis percipi, vt vita hæc nostra sustentetur: Similiter, Passio Christi, eiusque beneficia & vis illa viuifica quæ animas nostras in vitam æternam sustentat, non potest à Corpore & Sanguine Christi, adeóque ab ipso Christo diuelli. Etenim oblatio Corporis, sine Corpore oblato: effusio Sanguinis, sine Sanguine effuso: & Passio Christi sine Christo patiente, ne intelligi quidem possunt. Denique attendamus ad præstantissimam hanc Ioannis sententiam.

Vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in Filio eius est: Qui habet Filium, habet vitam: qui non habet Filium, vitam non habet. 1. Ioan. 5.

Horum verborum ordo imprimis spectandus est. Primùm enim dicit, vitã nostram manare à Deo: quippe solo viuẽte ac vitæ authore, & apud quem est fons vitę (inquit Psaltes) Psal. 36. Deinde affirmat, vitã illam esse in Filio: nempe quia Iesus Christus θεάνθρωπος, Mediator Dei & hominum illa omnia præstitit quæ nobis erant ad vitam æternam necessaria. Postremo, vt simus æternæ vitæ participes, ait oportere omnino, vt Christum ipsum habeamus, in quo vita est. Sic, quamuis aqua infra scatu-

riens puteum impleat: tamen ad puteum nobis accedendum est, vt aquâ hauriamus. Cùm autem isti Corporis & Sanguinis Christi communionem excludant, sola commemoratione Mortis Christi, & eius adumbrata quadã imagine contenti: certè (vt ad nostri Syllogismi complexionem redeamus) sequitur, ipsorum dogma esse ἀπρόσλογον, ac proinde ab Ecclesia exterminandum: quippe quo negatur id quod Scriptura sanctissimè affirmat: & id excluditur, quod Scriptura verbis clarissimis includit. Quanquam verò nostrum hoc argumentum totam quæstionem satis definit: subiiciemus tamen aliquot alia argumenta ab huius fonte promanantia, & petita ex superioribus Scripturæ locis, vt istorum errores ante omnium oculos faciliùs proponantur.

Argvmentvm II.

QVi in S. Domini Cœna non res easdem per sacra symbola significatas constituunt, quas ipse Christus proposuit, illi sunt in sanctissimum hoc mysterium, atque adeò in ipsum Christum contumelioſi.

Qui negant in S. Cœna vllam fieri communionem Corporis & sanguinis Christi, illi non res easdem per sacra symbola significatas constituunt, quas ipse Christus proposuit.

Quare qui negant in S. Cœna vllam fieri com-

communionem Corporis & Sanguinis Christi, sunt in sanctissimum hoc mysterium, atque adeò in ipsum Christum contumelioſi.

Maior propositio lucet ipsa per se. Christus enim is est qui Sacramentum instituit, vtpote summus ille Propheta, Legislator, & Rex Ecclesiæ, cuius solius est, & Signa & res signis ipsis significatas proponere. Vtrunque igitur ex ipsius verbo petendum est: quod quidem non sine causa, fidei nostræ anchoram Athanasius appellauit. *Confirmatio Syllogismi.* In Synop.

Minorem propositionem sic probamus. Quum Christus Sacramentum hoc instituere-ret: *Accepit panem* (inquit Matthæus) *& cum benedixisset, fregit, deditque discipulis, & ait, Accipite, comedite, hoc est Corpus meum: & accepto poculo & gratijs actis, dedit eis dicens: Bibite ex eo omnes: Hoc est enim sanguis meus Noui testamenti, qui pro multis effunditur, in remissionem peccatorum.* Matth. 26. Hinc perspicuũ est, Panem esse signum Corporis, & Vinum Sanguinis. Atenim isti volunt panem & vinum esse tantum signa siue signacula Mortis Christi & beneficiorum eius, ita vt nulla sit nobis cum carne Christi & cum eius Sanguine communio. Ex quo fit, siquidem audiantur, vt res significata per panem, non sit Corpus Christi: & res per vinum significata, non sit eius Sanguis. Nam, si propriè loquimur, Mors Christi

& eius beneficia non sunt, vel Corpus Christi, vel Sanguis eius, vel ipse Christus. Quemadmodum igitur panis est signum Corporis, ita donatio panis, est signũ Donationis corporis. Sic enim Christus: *Accipite & manducate.* Ergo necesse est à fidelibus recipiatur & manducetur Corpus Christi: nempe (vt à nobis in primo cap. expositum est) Spiritualiter & per fidem, efficacitate sancti Spiritus. Hoc verò illud est quod dicimus, nos arctissimè cũ Corpore & Sanguine Christi, adeóque cum ipso Christo coniungi, vt eius meritis assequamur vitam, quam Christus in natura nostri, oblato in cruce sacrificio, nobis comparauit. Nó separamus beneficia Christi ab ipso Christo, & vicissim, Christũ ipsum à suis meritis ac beneficiis separandum non esse contendimus.

ARGVMENTVM III.

SI in S. Cœna Domini nulla est Corporis & Sanguinis ipsius communio, sequeretur, hanc Christi comparationem stare non posse, (quod absit.) *Sicut me misit viuens Pater, & ego viuo per Patrẽ: ita qui edenit me viuet quoquè ipse per me.* Consequens est falsum. Igitur & Antecedens.

Ioan. 6.

Probatio. Consequẽtia patet. Certum est enim Christum viuere per Patrem propter summam ipsius cum Patre coniunctionem: & (siquidem diuinam

diuinam *vocat* spectes) identitatem. Vt ergo maneat vis cōparationis, quoad eius fieri potest, & quatenus fert nostra conditio: necesse est viuamus per Christum cum ipso Christo arctissimè coniuncti.

ARGVMENTVM IIII.

SI in Sacra Domini Cœna nulla est Corporis & Sanguinis ipsius communio: sequeretur, viuificam Christi virtutē ab ipso Christo, vel Christum à suo Corpore & Sanguine posse diuelli. Consequens est falsum. Ergo & Antecedens.

Consequentia patet. Isti volunt, beneficia Christi obsignari sacris signis in Cœna Domini propositis, ac proinde nobis offerri viuificam ipsius Christi virtutē, quæ nos in vitam æternam sustēret. hoc est enim summum eius erga nos beneficium. Atqui vis illa viuifica diuelleretur à Christo, si cum illa cōmunionem habentes, nullam haberemus cum ipso Christo communionem. Rursus si communionem cum Christo haberemus, nec vlla nobis cum Corpore eius & Sanguine communio intercederet, profectò Christus à suo Corpore & sanguine diuelleretur. Vtrunq; absurdissimū. Absurdissima igitur est istorum sententia. *Probatio.*

ARGVMENTVM V.

SI vera est istorum opinio: ergo tollitur Analogia Sacramēti: quod tamen fine Ana-

logia stare non potest: alioquin esset Sacramentum sine Sacramẽto: vt cuiuis manifestum esse potest, ex ipsius Sacramenti definitione.

Probatio. Consequentia patet. Sic dixit Christus panem discipulis porrigens: *Accipite, manducate.* Ergo Analogia est in manducatione: quæ proculdubio significat arctissimam coniunctionem, vt antè diximus. Atqui vt vim alẽdi quæ est in pane percipiamus, panem ipsum percipiamus necesse est. Ex quo efficitur (ita dictãte Analogia Sacramenti) nos esse arctissimè cum Corpore & Sanguine Iesu Christi, adeóque cum ipso Christo coniungendos, vt vim & efficientiam eius salutarem atque viuificam sentiamus. Atenim isti perinde faciunt vt si quis dicat, etiam non sumpto pane, vim panis ad alendum corpus sumi posse.

Argvmentvm vi.

SI vera esset istorum opinio: sequeretur, causam continentem ab effectu suo posse reipsa separari. ἀδυνάτον.

Probatio. Ion. 15. Consequentia patet. *Nisi quis in me manserit, eiectus extra, statim, vt palmes, arescit:* inquit Christus. Item: *Qui habet Filium, habet vitam: qui non habet Filium, vitam non habet.* 1. Ioan. 5. Item: *hæc vita in Filio eius est.* Vnde colligitur, Christum esse causam vitæ æternæ, ac proinde nostræ Iustificationis, Remissionis peccatorum, & eorum eiusmodi quæ ad vitam

æternam

æternam referuntur. Quamobrem si putas te Remissionem peccatorum & Iustificationem habere, quum ipsum Christum non habeas: tu causam continentem ab effecto suo separas. Nam huic quæstioni valde accommodatam esse rationē eius causæ quam Philosophi Cōtinentem vocant, in 1. cap. huius disputationis admonuimus. Hæc est autem natura Continentis causæ, vt illâ positâ, ponatur quoque eius effectū: & vicissim, effecto illius causæ posito, ponatur & causa: nec vnum ab altero possit vnquam reipsa separari.

ARGVMENTVM VII.

QVi in S. Cœna sola Christi beneficia, non autem simul verā cum ipso Christo communionem proponunt, euertūt præclaram hanc Christi sententiam. *Qui manducat meam Carnem & bibit meum Sanguinem, in me manet & ego in eo.* Quod absit vt faciamus. Ioan. 6.

Consequentiam esse manifestam hinc apparet: quòd, de virtute sermonis (vt loquuntur Scholastici) aliud est, manere in Christo, aliud manere in beneficiis Christi: nec vsquam reperias hoc loquendi genus: manere in beneficiis, & beneficia manere in nobis. Verba autem Christi significant arctissimam coniunctionem, vt videre licet ex consimilibus locis: vt, *Manete in me & ego in vobis: sicut palmes* Ioan. 15. *Probatio.*

non potest ferre fructum à semetipso nisi manserit in vite: ita nec vos, nisi in me manseritis.

Ioan. 14. *In illo die vos cognoscetis, me esse in Patre meo, & vos in me, & me in vobis,* &c.

Sic igitur dicēdum est, nos arctissimè cum Christo coniungendos esse, vt eius beneficiis, ipsáque adeò æterna vita perfruamur.

Argvmentvm viii.

SI in S. Cœna beneficia Christi tantùm obsignantur, non autem verè cum ipso Christo coniungimur: sequeretur, aut Christū non esse Caput Ecclesiæ, aut Ecclesiam non esse corpus Christi: vtrunque falsissimum & innumeris Scripturæ locis contrarium.

Probatio. Consequentia sic probatur. Paulus de hoc Sacramento verba faciens: *Poculum benedictionis cui benedicimus,* inquit, *nonne communio Sanguinis Christi est? Panis quem frangimus, nonne communio Corporis Christi est? Quoniā vnus panis, vnum corpus multi sumus, nam omnes vnius panis simus participes.* Nemo non videt Apostolum à verò & naturali Christi Corpore & Sanguine transitum facere ad Corpus eius mysticum, quod est Ecclesia. Rectè enim Augustinus vnitatem Ecclesiæ (inquit) in sacramento panis commendat Apostolus. Atque id causam præbuit Maioribus nostris, vt simile panis ex multis granis, & vini ex multis vuis confecti, ad hoc Sacramentum enarrandum

1. Cor. 10.

De Cōsens. Euang. lib. 3. c. 15. Cypr. de Cœna D. &c.

sæpe-

sæpenumero vsurparint. Nos igitur insistentes priorum maiorum vestigiis ab ipso Apostolo impressis, ita ratiocinemur. Si Sacramentum Cœnæ Domini est certum pignus ac veluti expressa imago mutuæ coniunctionis qua fideles inter se deuinciuntur: Ergo est etiam illius coniunctionis qua fideles ipsi cum Christo arctissimè coniunguntur.

Etenim, vt corporis membra eiusdem vitæ ac sensus vinculo cõpacta, inter se cohæreant, omnino necesse est, cum ipso capite coniungantur: à quo diuulsa, nullam amplius communione inter se habere poterunt. Nusquam autem scriptum reperias, vel Mortem Christi, vel eius beneficia esse caput Ecclesiæ, sed hoc de ipso Christo ὁλοσχερῶς Scriptura cõstantissime affirmat. Quia verò Affirmatio est mẽsura Negationis (vt tradunt Philosophi) concludamus Syllogismum hunc hypotheticum ἀναλυτικὸν, syllogismo hypothetico κατὰ ποιότητα in hunc modum.

In S. Cœna est communio Corporis & capitis & membrorum Corporis inter se.

Si in S. Cœna communio vera est membrorum Christi, hoc est, piorum atque fidelium inter se, qui vinculo pacis & fraterna charitate cõiuncti sunt (vt Apostolus docet, & pij Maiores agnouerunt: nec vllus adhuc Christianus extitit, qui id negaret) Ergo in S. Cœna vera communio est membrorum Christi cum ipso Christo Capite: quandoquidem sublata communione cum capite, stare non potest mutua

inter se membrorum cõmunio, imò ne membra quidem sunt nisi ὁμωνύμως. Atque id si quis fortè negauerit, ille profectò videri possit sine capite viuere, & sine ratione ratiocinari. Huc adde quod Scriptura tradit, fideles vnum esse in Christo. Nã si fideles inter se coniuncti sunt, quia communionem habent cum Christo: sequitur, ipsam piorum cum Christo coniunctionem, esse maiorem mutua piorum inter se coniunctione. Quare in primis obseruandum est Apostolicum hoc loquẽdi genus. *Sicut corpus vnum est, & membra habet multa, omnia verò membra corporis vnius, multa quum sint, vnum sunt corpus: ita & Christus.*

Ioan. 17. Gal. 3. Eph. 2.

1. Cor. 12.

Ad quod alludens Augustinus Verbum, inquit, & caro non vtrunque vnũ: Pater & Verbum, vtrunque vnum: Christus & Ecclesia, vtrunque vnus.

In præfat. in Psal. 110.

Argvmentvm XIX.

SI in S. Cœna beneficia Christi tantùm obsignantur, non autem verò cum ipso Christo coniungimur: sequeretur, Ecclesiam non esse sponsam Christi, ita vt irrita esset similitudo coniugij ab Apostolo super hoc sanctissimo mysterio vsurpata. Consequens est impiũ. Impium igitur & Antecedens.

Ephes. 5.

Probatio. Consequentiæ veritatem sic ostendo. Paulus (quemadmodum in cap. superiori proximo audiuimus, quum recitaremus Scripturæ

locos, ex quibus noſtram Demonſtrationem effecimus.) *Nullus*, inquit, *ſuam ipſius carnẽ odio habuit, imò enutrit ac fouet eam, ſicut & Dominus Eccleſiam: Quoniam mẽbra ſumus corporis eius, ex carne eius & ex oſſibus eius. Propterea derelinquet homo patrem & matrem & adherebit vxori ſuæ, & erunt duo in carnem vnam. Myſterium hoc magnum eſt. Loquor autem de Chriſto & de Eccleſia.* hæc Paulus. Non eſt autem huius loci neque noſtri inſtituti prolixè diſputare de ſenſu verborum Pauli, & de applicatione illius ſententiæ quam ex Moſe deprompſit. Hoc enim nobis ſatis eſſe debet, quòd omnes interpretes huc denique redeũt, Apoſtolum loqui de arctiſſima noſtri cum Chriſto coniunctione, cuius expreſſam imaginem in coniugio contemplatur. Atque huius etiam rei permultos alios extare Scripturæ locos conſimiles in illo ipſo cap. proximo annotauimus. Iam niſi velimus hanc Pauli ſimilitudinem nobis perire, neceſſe eſt dicamus, Paulum arctiſſimam Eccleſiæ coniunctionem cũ Chriſto ſignificare, cùm ait, *nos eſſe ex carne Chriſti & ex oſſibus eius.* Nam ſi quis exiſtimet, verba illa eſſe tantùm intelligenda de communione naturali, quæ nobis cum Chriſto intercedit quatenus Humanam naturam aſſumpſit ὁ λόγος, & factus eſt particeps Carnis & Sanguinis, (inquit Apoſtolus:) præterquam quòd hac ratione dicẽdum fuit potiùs, Eph. 5. Heb. 2.

Christum esse ex carne nostra & ex ossibus
"nostris: certè hęc interpretatio valde extenua-
"bit piorum cum Christo cõiunctionem: cùm
de eadem possint etiã Reprobi gloriari. Sunt
enim humanæ naturæ participes, non minus
quàm electi. Atenim Paulus coniunctionem
de qua loquitur, affirmat esse longè maximam
& Ecclesiæ peculiarem, cuius ipse mysterium
adorat. Quemadmodũ enim vir, est caro vna,
non cum quauis muliere (licet humanam na-
turam omnes ex æquo participent) sed cum
vxore: Ita Christus non dicitur à Paulo esse vna caro cum omnibus hominibus: sed pecu-
Eph. 5. liariter cum Ecclesia. *Loquor*, inquit, *de Christo & de Ecclesia*. Rursus, absurdum est, substitue-
re Christi beneficia loco ipsius Christi. Quis
enim hæc ferat? Ecclesiam esse sponsam bene-
ficiorum Christi. Itémque: Nos esse ex carne
& ex ossibus beneficiorum Christi. Quamob-
rem agnoscamus mentem Pauli, atque ita, post
ipsum Paulum statuamus: Quemadmodum ea
lex est coniugij, vt vxor contrahat matrimo-
nium, nõ cum bonis ac beneficiis viri: sed cum
ipso viro, cuius coniunctionis hoc effectũ est,
vt sit bonorum viri particeps & illis fruatur:
Ita Ecclesiam esse spõsam ipsius Christi, qui-
cum mystico, eodémque sanctissimo & arctis-
simo spiritualis coniugij vinculo coniungitur,
ac propterea esse beneficiorum Christi parti-
cipem. Itaque qui sola beneficia proponunt,

idem

idem faciunt, vt si quis velit eam esse vxorem, quæ nullam habeat cum ipso viro communione, & nihilominus sit particeps bonorum eius. Enimuerò quoties mihi locus hic Apostolicus ante oculos versatur, toties laudo piã hanc Maiorum nostrorum sententiam: Ecclesiam fuisse formatam, &, vt loquitur Moses, ædificatam ex Christi latere, quemadmodum Eua fuit ex Adami latere formata. Sed etiamnum addo, in Ecclesia aliquid fuisse lõgè præstantius. (quidni enim fuerit, quum Christus posterior Adamus sit priore Adamo longè præstantior?) Nam Ecclesia spõsa Christi, non tantùm ex Carne Christi, sed etiam ab ipso Christo facta & ædificata est. Christus enim Ecclesiã fecit, & ex Carne sua fecit, quum homo factus, ea omnia præstitit, quibus Ecclesia ipsi arctissimè deuincta, felicitatem æternam assequetur.

Augusſt. de Gen. ad lit. lib. 9. cap. 18.19.& Sẽt. excerpt.327. 328.& cõtra Fausſt. Manich. lib.12. c.8. & dial. 65.quęſt.45. Ambroſ. in Luc. libr.2. Id.de Inſti. Virg.cap. 4.&c. Gen.2.

Verè igitur magnum & adorandũ est mysterium huiusce sanctissimæ & ineffabilis coniunctionis, quæ humana omnia vincula & omnem naturæ facultatem longè superat, adeò vt meritò nobis sit cum Apostolo exclamandum: mysterium hoc coniunctionis Christi & Ecclesiæ esse quàm maximum. Neque ferenda est quorundam Monachorum vel inscitia, vel impudentia, vel etiam audacia, qui in ipsum Apostolum insurgentes, non patiuntur, nos sanctissimum hoc & inenarrabile mysterium

Eph.5.

adorare: & quoties id facimus, tum illi obiectant, nos ad commentitium mysterium recurrere.

Cæterùm antequam discedamus ab hac Apostoli meditatione, non erit alienum, in memoriam redigere quæ de vtroque Adamo idem Apostolus alio in loco nobis tradidit, his verbis: 1. Cor. 15. *Sicut in Adamo omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Et paulo post, *Factus est prior homo Adamus in animã viuentem: posterior verò Adamus in Spiritum viuificum.* Ecce tibi duo Adami inter se comparati: atque ita, vt in priore moriamur: in posteriore viuamus eam vitam cuius futura est summa beatitas, die illo felicissimo & expectatissimo Resurrectionis mortuorum: de qua sic Christus: Ioan. 6. *Qui edit meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego excitabo eum in nouissimo die.* Ad quod alludens Augustinus, Parentes, inquit, ad mortem, Adam & Eua: parentes ad vitam, Christus & Ecclesia. De Temp. Ser. 109. Est autem obseruandum hoc loquendi genus, *Mori in Adamo, & viuere in Christo* (quemadmodum etiam admonuimus in principio huiusce disputationis.) Nam ita significatur ea coniunctio quam cum vtroque habemus. Sic igitur libet ratiocinari: Si morimur in Adamo quia sumus cum Adamo coniuncti naturali participatione: (vnde enim propagatio culpæ, nisi ex propagatione naturæ?) nonne, obsecro, vitam

vitam spiritualē in Christo viuimus, propter spiritualem ipsius Christi participationem? Quod si ea vis naturæ indita fuit Adamo, vt
" per generationem naturalem nos sui partici-
" pes faceret, quātumuis licet iampridem mor-
" tuus: nonne longè maiori ratione Christus in
" æternum viuens, in cœlum sublatus, omnique
" gloria & honore coronatus, hanc vim habe-
" bit, vt per Spiritum regenerationis, mirando,
" ineffabili & ὑπερφυικῷ modo (cuius tamen effectum pij in animis suis persentiunt) nos reddat suiipsius participes? Quid? Num id quod est supra naturam minus poterit, quàm natura? Atqui, hoc diceretur inconstantissimè. Iam autem ex Paulo didicimus, coniunctionem Christi & Ecclesiæ esse mysticam: nec in dubium reuocari potest, quin omne mysticum sit ὑπερφυικὸν & supra naturam, vt iam antè admonuimus. Et verò, huius rei Paulus ipse testis est locupletissimus, qui de naturali coniugij communione differens, assurgit ad magnum illud mysterium quod in Christi & Ecclesiæ communione contemplatur. Quā- 8. mo.
obrem (est enim nobis ad Apostolicam similitudinem redeundum) concludimus, eos Enam à priore Adamo, & Ecclesiam ab Adamo posteriore, qui Christus est, distellere: qui veram Ecclesiæ cum Christo cōiunctionem, veramque ipsius Christi participationem esse negant.

Consimilia pleraque argumenta peti possunt ex Scripturæ locis ante à nobis commemoratis: qui stare non possunt, nisi illorum euertatur sententia. Atqui Scripturæ loci sunt ἐξ ἀναγκης firmissimi. Ergo ἐξ ἀναγκης illorum sententia euersa est.

ARGVMENTVM X.

SI in S. Cœna non est vera Corporis Christi & Sanguinis ejus, adeoque ipsius Christi participatio, (quemadmodum isti negant.) Ergo in S. Cœna nec est vera commemoratio Passionis Christi: nec sunt vera beneficiorum Christi signacula, (quod tamen vtrunque isti affirmant.)

Consequens isti perhorrescunt.

Ergo & Antecedens perhorrescant necesse est.

Consequentia patebit ex genuina vocabulorum significatione. Nam si in S. Cœna mortem Christi commemoras: ecquid obsecro commemoras? Nimirum id, ex Pauli verbis discendum est: *Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non etiam cum eo nobis omnia donabit?* Non potes igitur verè de Christi passione cogitare, quin simul etiam tibi hac ratione Christum datum esse vi, cum Christo omnia ipsius Christi beneficia percipias. Huc etiam spectant loci consimiles.

Rom. 8.

Filius

Filius datus est nobis. Esa.9.

Ita Deus dilexit mundum vt Filium suum vnigenitum dederit, vt quisquis credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Ioan.5.

Pater meus dat vobis panem illum cœlestem. Ioan.6.

Panis enim ille Dei est qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo, &c. Iam si vsquam aliàs nobis datur & offertur Christus, id fit Cœnæ Dominicę mysterio celebrando, vbi ad ipsam prædicationem Euangelij, Sacra symbola accedunt. Atq; id clarissimè testantur ipsa Christi verba: *Accipite, comedite: hoc est corpus meũ.* Quæ quidem nullius momẽti fuerint, si Christus à piis credentibus accipi non possit. Notum est enim, Dare & Accipere esse relata. Nec vllus est vel tantillum in τρόπῳ ἐπιστήμης exercitatus, cui non perspecta sit natura & vis Relatorum: ex quâ videlicet statuendum est, id dari non posse, quod accipi non potest: & contrà, id quod dari potest, accipi posse. At Christus ipse datur piis & credentibus. Quare Christus à piis & credentibus accipitur: nempe spiritualiter, per fidem, efficacitate sancti Spiritus in animis nostris supra omnem naturam operantis. Si quis igitur dicat, nos omnia quidem beneficia Christi accipere, sed non Christum ipsum: id contradictionem implicabit (vt Scholastici loquuntur.) Nam Christus ipse est donum, ac beneficium longè prestantissimum, quod nobis confertur. Sic enim

Esa. 9. Esaias: *Puer nobis natus, Filius nobis datus est.*
Rom. 8. Et Paulus: *Quomodo non cum eo omnia nobis donabit?* Audi: CVM EO. Datur ergo Christus, & cum Christo reliqua omnia Dei beneficia conferuntur. Tu verò manifestè Paulo contradicens, Omnia nobis donabit sine eo, inquis. Porrò si in S. Cœna sunt tantùm signacula beneficiorum: cur tibi in manus illa signacula traduntur? Si signa, cujus rei signa sunt? si obsignant, ecquidnam est quod ab illis obsignatur? Vrget enim ratio ac natura Relatorū, vtantè diximus. Iam ipse Christus tollit omnem dubitationem, qui panem vocat Corpus suum, & poculum itidem vocat Sanguinem suum: quæ quidem sacra Symbola, & vt loqueris, Signacula, quum fidelibus dantur, significant & obsignant Christi Corpus & Sanguinem ipsumque adeò Christum illis dari. Alioqui essent signa sine significatione: hoc est, signa non signa: qua ignorantia Philosophi dicunt nullam esse crassiorem.

Argvmentvm xi.

SI Sacramentum Baptismi nobis proponit coniunctionem nostri cum Christo: Ergo id etiam de S. Cœna dicendum est.

Verum est Antecedens.

Verum igitur & Consequens.

Probatio. Connexum est perspicuum ex natura & analogia vtriusque Sacramenti. Quinetiam ipsa con-

coniunctio magis exprimitur in S. Cœna, vt appareat tum ex verbis Christi, tum etiam ex ipsis signis in Cœna Domini propositis, eorumque natura & significatione.

Antecedens probatur ex sequẽtibus locis.

Consepulti cum Christo per Baptismum: per quem etiam cum eo resurrexistis per fidem Dei efficaciter agẽtis, qui excitauit eum ex mortuis: vosque mortuos in peccatis & præputio carnis vestræ cum eo viuificauit, condonatis vobis omnibus peccatis. Col. 2.

Si cum eo plantati coaluimus conformatione mortis eius, nimirum etiam Resurrectionis conformatione coalescemus. Rom. 6.

Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis: & pleraque consimilia. Adde, quod Veteres identidem dicũt, nos per Baptismum in Christum inseri, adeò vt de Consequentis veritate non sit dubitandum. Gal. 3.

ARGVMENTVM XII.

SI qui prætermissa Substantia, in solis ipsius substantiæ accidentibus adhærescunt, in nulla scientia tolerandi sunt, nedum in Theologia, scientiarum regina: Certè qui in S. Cœna solam commemorationem mortis Christi & Signacula tantùm beneficiorum eius, non autem veram Communionem cum ipso Christo σαρκικῶς, ac proinde cum Corpore & Sanguine eius constituunt, non sunt tolerãdi.

Probatio. Connexi tatio est in promptu. Nam vocabula hæc, Christus, Corpus, Caro, Sanguis, Substantiam significant. At Christi Mors & eius beneficia, inter accidentia numerantur. Est igitur iniquissimum, sola Christi beneficia proponere, non autem ipsum Christum, verum Deum ac verum hominem, qui seipsum pro nobis tradidit, vt æterna felicitate potiamur. Equidem mirari satis non possum, quid istis in mentem venerit, qui quum maximè videri velint à crassis Pontificiorum commentis alieni, nouo tamen modo ad Pontificiorum Transsubstantiationem alludant. Nam Pontificij panis substantiam ab ipsius panis accidentibus ita diuellunt, vt putent accidentia panis sine panis substantia ore percipi. Isti autem Passionem Christi & eius Merita ac beneficia, sine Christo, hoc est, sine vera cum ipso Christo communione proponunt. Sed de his hactenus: nimis enim lõgum esset omnia incommoda recensere quæ ex istorum opinione consequuntur: & (quemadmodum alicubi dixit Augustinus) non semper omnes errorum rami sunt sigillatim feriendi, modò radices ipsæ fuerint amputatæ. Iam igitur nobis ad Obiectiones Aduersariorum respondendum est.

Cap.

CAP. IIII.

QVi mendacij & erroris patrocinium susceperunt, eos perinde facere dicebat Chrysostomus, vt qui putres parietes albo tectorio illinunt. Sic enim solent homines mendacium adumbrata quadam veritatis similitudine commẽdare. Postquam ergo verã de vera Christi nobiscum communione sententiam expressis Scripturæ locis confirmauimus, & eos qui contrariam sententiam sequuntur, ex eadem Scriptura refutauimus: eò iam nos huius Disputationis ratio ac methodus prouexit, vt fundamẽta quibus illi nituntur, diruenda sint, eáque dissoluenda argumenta quæ aduersus nostram sententiam solent obũcere. Sic enim facilius errores detegentur, & detracto obiectionum integumento, atque (vt cum Chrysostomo loquamur) albo tectorio sublato, putres istorum parietes omnium oculis patebunt. In Matth. hom. 67.

OBIECTIO I.

SIin cœna Domini manducatio Corporis Christi & potus Sanguinis ipsius spiritualiter intelligi debẽt, vt plerique omnes agnoscunt: Ergo debent non de ipso Christi Corpore intelligi: sed de Christi beneficiis & impunis de fructu mortis & sacrificij ipsius. Nã Apostolus spiritualibus spiritualia compara-

bat. 1. Corinth. 2.

Consequentia patet: quia Corpus Christi non est spiritus, sed est verum ac naturale corpus, quemadmodum agnoscunt omnes Orthodoxi: hæreticis cōtrà sentientibus iampridem profligatis.

Responsio.

FAllit Consequens: nititur enim hac falsa hypothesi: Nihil potest intelligi spiritualiter de Christi vero & naturali corpore: quod est falsissimum. Etenim confundunt hęc duo, spiritum, & spirituale, & opponunt Spirituale Corpori. Error καθὰ τὸ σχῆμα τῆς λέξεως. Et rectè monēt Philosophi, in argumentis à Coniugatis sæpe latêre Homonymias, quia in illis verba potiùs quàm res considerantur. Profero igitur ἔνστασιν ex Paulo. *Nos post hac neminem nouimus secundum carnem: quod si etiam nouimus Christum secūdum carnem, nunc tamen non ampliùs nouimus. Si quis igitur est in Christo, noua creatura est*, &c. Quinetiam, tametsi humana Christi natura non est spiritus, tamen quomodo vnquam poteris nisi spiritualiter intelligere, humanā Christi naturam à λόγῳ in vnionem Personæ assumptam, ex Spiritu sancto conceptam, natam ex Virgine, incomprehensis Dei donis exornatam, in cœlum sublatam, præfulgentem omni gloria ac maiestate? Quomodo possunt, nisi spirituali-

2. Cor. 5.

ter,

ter, hæc verba Pauli intelligi? *Magnum est pietatis mysterium. Deus conspicuus factus est in carne*, inquit. Idem dicendum est de his locis. *Quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod spectauimus, & manus nostræ contrectarunt de sermone vitæ. Nam vita patefacta est & vidimus*, &c. *Sermo ille Caro factus est & commoratus est inter nos, & spectauimus gloriam eius, gloriam vt vnigeniti egressi à Patre*, &c. *Vnus est Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus*, &c. 1.Timoth.3. 1.Ioan.1. Ioan.1. 1.Tim.2.

Ratio consequentiæ quam afferunt, planè nulla est. Nec enim hæc sunt cõsectaria: Corpus Christi est verũ ac naturale Corpus: Ergo non manducatur spiritualiter. Item: si mãducatio Corporis Christi debet intelligi spiritualiter: sequitur, iam non esse corpus, sed spiritum. Error est μετάβασις à modo ad rem ipsam. Est enim manducatio corporis, nõ autem mãducatio corporalis. Quod velim semper intelligi in hac disputatione: ne quis putet, posita spirituali coniunctione, tolli veram & arctissimam cum ipso Christo θεανθρώπῳ coniunctionem. Itẽque error παρὰ τὸ ἐπόμενον, præter errorem iam suprà à nobis annotatũ, παρὰ τὸ ἐχῆμα τῆς λέξεως. Quos omnes errores sequentibus incommodis obruimus.

Si valet superius Connexum ab aduersariis allatũ, ergo nihil credi potest de Christi Corpore: ac proinde periret certissima & salutaris

fides de Christo Mediatore. Ἀναίτιον & blasphemum. Consequentia patet. Nihil enim potest credi nisi spiritualiter, & ipsa fides est spiritualis.

Item, vt superioris illius connexi falsitas sit dilucidior, detrahamus similitudinem, & metaphoricum loquendi genus proprio loquendi genere commutemus. Manducatio Corporis Christi, est arctissima cum Christo coniunctio (vti à nobis suprà copiosè fuit explicatum) adeò vt ipsum Christũ vere possideamus. Sic igitur ratiocinemur.

Si valet superius Aduersariorum cõnexum: ergo nulla poterit esse Ecclesiæ coniunctio cum Christo. Ἀναίτιον & ἀβέλτερον. Ratio est, quia Christus est verus Deus & verus homo, vero & naturali corpore præditus: & fideles ex quibus Ecclesia constituitur, sunt homines, vero & naturali corpore præditi: ipsa autem Christi & Ecclesiæ coniunctio est spiritualis, quia mystica, vt docet Paulus.

Addè quòd sequeretur, nullam esse communionem sanctorum inter se, quam esse spiritualem nemo Christianus negauerit. Quinetiam, fideles in terris adhuc peregrinantes coniunguntur cum beatis spiritibus in cœlo existentibus. Heb. 12. *Accessistis*, inquit Apostolus, *ad Hierusalem cœlestem, & myriadas Angelorum, conuentum & Ecclesiam primogenitorum qui conscripti sunt in cœlis, & Iudicem vniuersorum*

Deum, & spiritus iustorũ cõsummatorum. postea subiicit: *Et ad noui Testamenti Mediatorem Iesum, & Sanguinẽ aspersionis præstantiora loquentem quàm loqueretur sanguis Abel.* Hæc Apostolus quæstionem hanc definiens.

Item sequeretur, nullam esse posse inter homines amicitiam, adeóque nihil amari quod corporale sit, alioqui (si istis credimus) necesse esset, homines & quicquid est corporale, conuerti in naturam planè spiritualem: quia amicitia est aliquid spirituale, & in ipso animo existẽs. Rectè enim Augustinus: Sicut cõiunctio corporum fit per continuationem locorum: sic animorum quidam contactus est consensio voluntatum.

De Baptis. cont. Donatist. lib. 1. c. 1.

Item: sequeretur, res diuinas & mysticas esse inferiores rebus terrenis, ἀδύνατον & perabsurdum.

Consequentia patet. Nam licet pes distet à capite (si locum spectes) tamen coniungitur cum capite, quia sunt partes corporis. Hæc autem est natura partium Integrantium, vt Totum constituant, quatenus cõiunctæ sunt, quæ si separatæ sint, non sunt partes, nisi ὁμωνύμως. Item, in rebus terrenis potest fundi possessio haberi ac retineri animo, nec propterea fundus desinit esse res corporalis & terrena. Præterea, pignore seu arrhabone dato, simul traditur rei, licet absentis, possessio.

Item: sequeretur, vim alendi quę est [illegible]

in pane, non posse in pane considerari, quum tamen extra panem considerari non possit. Et consimilia plæraque in hanc sententiam.

1.Cor.2. Locus Pauli quem citant, non debet ita intelligi, quasi loquatur de solis spiritibus. Sed, Paulo spirituale est, quod ad vitam cælestem pertinet, & est à crassis terrenísque hominum sensibus remotum. Itaque ipsos homines vitam illam spiritualem viuentes, vocat Spirituales: eos autem appellat ψυχικὸς, qui rebus terrenis adhærescunt.

Quare, loco superioris hypothesis ab Aduersariis propositæ, quæ falsissima est, substituamus hoc Theorema Theologicum & verissimum. Quæcunque in Theologia dicuntur de aliqua corporali substantia, & sunt mysticè intelligenda, illa pertinent quidem ad ipsam corporalem substantiam, sed tamē modo spirituali, non autem corporali. Exempli gratia:

Ioan.6. *Caro mea verè est cibus*, inquit Christus. Constat autem, cibum hunc non esse corporalem cibum: ac proinde esse mysticè & spiritualiter intelligendum. Sic enim ipse Christus: *verba quæ loquor vobis spiritus sunt & vita sunt.* Ex quo efficitur, non, vt isti concludunt, Carnem Christi in Spiritum esse conuertendam, sed potius, eum modum quo ipsa Christi caro cibus intelligitur, spiritualem, non autem crassum & corporalem esse. Nam res ipsa, non est modus rei. Et ipsa intelligentia est quidem de

re,

re, sed tamen est in animis nostris: & sic dicere corporali intelligentia est spiritu alis. Quod, si Metaphysicis notum est, quanto magis Theologis

Alius error. quòd quum isti in Cœnæ Domini mysterio tantopere vrgent corporalem substantiã in Christi Corpore, videntur Christum ipsum dissellere, nec aliquid aliud spirituale cõsiderare in S. Cœna, quam ipsa Christi beneficia. Quod quidem est ingens [illegible] in Theologia. Nec enim vel Caro Christi ab eius Sanguine, vel Caro & Sanguis ab Anima, vel tota Humana natura à Deitate Christi, nec vis viuifica quæ est in Christo ab ipso Christo, nec efficacia, ab efficacitate agentis dissecti debet, nec etiã potest: quemadmodum suprà admonuimus. Sic enim Christus: *Panis ille Dei is est qui de cælo descendit, & dat vitam mundo. Ego sum panis ille vitæ. Descendi è cælo vt faciam, non voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. Ego sum panis viuificus qui è cælo descendi, &c.* Totus igitur Christus in hoc mysterio considerandus est. Quãquum enim expresse reuocamur ad Mortem Christi, quum fit nominatim mentio Corporis pro nobis oblati, & Sanguinis effusi pro nobis, vt amplectamur vnicum illud & salutare sacrificium pro nobis factum in ara crucis: tamen sacrificium non constat sola victima, neque fieri potest sine Sacerdote, nec actio sa- Ioan. 6.

crificij potest à victima separati. Christus autem est simul Sacerdos & victima. *Qui semetipsum dedit Redemptionis pretium pro nobis*, inquit Apostolus, Item: *Per Spiritum æternum, semetipsum obtulit inculpatum Deo per immolationem sui ipsius patefactus est*, &c. Itaque si fatentur Aduersarij nos esse beneficiorum Christi participes in sacra Cœna, & imprimis vnici illius Sacrificij pro nobis oblati: fateantur ergo necesse est, nos esse totius Christi participes. Quandoquidem in hoc singulari Sacrificio, Christus non tantùm fuit victima, sed etiam Sacerdos seipsum offerens pro nobis. Ad quod illi quum non animaduertant, profectò, nihil tale cogitãtes (vt ego quidem existimo) Christum diuellunt, ac propterea Christum non habent, qui non potest esse Christus, nisi sit totus.

1. Tim. 2.

Heb. 9.

Sic igitur retorqueamus in Aduersarios ipsorum argumentum.

Retorquetur argum.

Si in sacra Cœna sumus spiritualiter participes beneficiorum Christi, atque imprimis Sacrificij ipsius (vt volunt) Ergo sumus in sacra Cœna spiritualiter totius Christi participes, quia Sacrificium Christi sine toto Christo intelligi nõ potest, propter eam rationem quam diximus. Ne nobis sit repetẽdum quod iam antè à nobis confirmatum est, hoc esse maximum Christi beneficium, quòd semetipsum nobis largiatur, spiritualiter & vera fide per-

de perfruendum.

Sed iam alias obiectiones audiamus, quæ licet omnes propemodum ad hanc primam reuoluantur, non tamen erit inutile singulas recensere & excutere, vt res ipsa fiat planior, & nostræ sententiæ veritas magis magisque luceat, ante omnium oculos constituta.

OBIECTIO II.

SI homines cum Christi Corpore in sacra Cœna coniunguntur & communionem habent: aut id fit per contiguitatem, aut per commixtionem & crassam confusionem: aut vt substantia vnitur cũ accidentibus, vt ab eis informari possit: aut secundùm præsentiã localem. At homines non coniunguntur cum Christi Corpore per contiguitatem. Est enim in cœlum receptum: homines autem sacram Cœnam celebrantes, sunt in terra. Rursus, cõmixtionem & crassam confusionem cũ Christo Orthodoxi omnes refugiunt. Denique satis constat non esse talem vnionẽ Christi nobiscum, qualis est substantiæ cum accidentibus quibus informatur. Localem etiam coniunctionem Orthodoxi nõ admittunt. Nullo igitur modo homines in S. Cœna cum Christi Corpore coniunguntur. Connexum est perspicuum, si enumeremus modos quibus corporeæ substantiæ inter se & secundum se cõiunguntur. At Corpus Christi, & homines

inter corporeas substãtias numeramus. Quòd si illa coniunctio cum ipso Christo, & non cũ solis eius beneficiis, per nullam communem notionem vocabulorum potest explicari: est igitur commentitia. Dicunt quidem hanc cõiunctionem fieri efficacitate Spiritus Sancti: sed hoc est dicere causam efficientem, nõ formalem. Quòd si nulla sit causa formalis huius coniunctionis, hæc igitur coniũctio, nulla est. Respondent: esse Mysterium: sed idem prætexunt vbiquitarij, vt suis commentis fidem faciant.

RESPONSIO.

FAllit Connexum. Error est [illegible] quod ita doceo. Corporeæ substantiæ coniunguntur, vel modo corporali, vel spirituali modo. Licet enim homines numeremus inter corporeas substantias, nõ sunt tamẽ sola corpora, sed animo & corpore præditi sunt. Quare superior distributio locum habet in coniunctione corporali. At in spirituali minimè. Atque vt id pateat, proferamus [illegible] aduersus superius illud connexum, quæ simul erunt totidem incommoda quibus Aduersariorum obiectio refelletur.

Inter homines ipsos ea vis est amicitiæ, vt alij cum aliis benevolentiæ vinculo cõnectantur, maneátque illa coniunctio, licet amicorum spatiis disiũcti sint. Ac proinde neque contigui-

contiguitas sit, neque permixtio, vel confusio. Coniugum coniunctio manet & perdurat inter ipsos coniuges, quantumuis licet locorum interuallo inter se distantes.

De fidelibus Hierosolymitanis sic Lucas, *Multitudinis, inquit, eorum qui crediderant erat cor vnum & anima vna.* Act. 4.

Fideles vbicunque terrarum sint arctissimo coniunctionis vinculo inter se deuinciuntur: quippe quum sint eiusdē corporis membra, vt eleganter Cyprianus docuit variis similitudinibus, Solis, fontis, & arboris. Et Chrysostomus: Vniuntur, inquit, Petrus & Paulus: quia fideles omnes sunt συγκοινωνοὶ, quamuis sint procul dissiti. Tametsi autē hæc coniunctio animorum est, (est enim spiritualis coniunctio) non tamen soli hominum animi sunt membra Ecclesiæ in terris militantis, sed ipsi homines animo & corpore constantes, & eiusdem fidei & Charitatis vinculo coniuncti. De vnit. Ecclesiæ. Homil. de Spir. S.

Paulus dicebat Corinthios esse in corde suo. Se tenere Philippenses in corde. Se conspectu quidem orbatum esse Thessalonicensibus, sed non animo. Se quantumuis corpore absentem, tamen esse spiritu cum ipsis Colossensibus, & eorum ordinem cernere. Se corpore absentem, spiritu præsentem affuturum Corinthiis, & eiusmodi complura, ex quibus cognoscit id quod diximus de spirituali con- 1. Cor. 7. Phil. 1. 1. Thess. 2. Col. 2. 1. Cor. 5.

iunctione inter eos qui locorum intervallis diſiuncti ſunt. Sed iam vlterius progrediendum eſt. Quum enim agimus de Corporis Chriſti manducatione in Cœna Domini, hoc eſt, de arctiſſima noſtri cum ipſo Chriſto coniunctione: loquimur de re non tantùm ſpirituali ſed etiam myſtica & quæ nō modò fit ſpiritualiter ſed etiam ſupernaturaliter & ὑπερφυῶς. Quòd ſi non eſſet, vtique Apoſtolus non exclamaret. Myſteriū hoc magnū eſſe. Nobis igitur ſermo eſt de Chriſto, ac propterea non de re tantùm naturali, ſed de Deo ac homine, Dei & hominum Mediatore, totiúſque naturæ Domino: cui ſi quis non cōcedat, vt poſſit nos verè ſecum & ſpiritualiter, & pluſquam naturaliter coniungere: quomodo credat futurum, vt ille ipſe Chriſtus nobis mortalibus immortalem, æternámque vitam largiatur? Itaq; myſterium hoc enarrans Chriſtus: *Qui*, inquit, *edit meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam & ego excitabo eum in nouiſſimo illo die.* Ex quibus verbis duo colligimus ex quibus tota hæc quæſtio definitur. Primùm, quū de ſanctiſſimo hoc myſterio cogitamus, attollendos eſſe animos longè ſupra res terrenas, ita vt ſtatuamus, eum poſſe nos ſecum ſpirituali & ſupernaturali modo verè coniungere, qui poteſt nos excitare ex mortuis. Deinde, manducationem Corporis Chriſti,

Eph. 5.

Ioan. 6.

licet

licet spiritualis sit, non tamen solis animis, sed etiam ipsis corporibus prodesse, suo tempore tandem aliquando, viuifica Christi virtute, resurrecturis. Sic igitur in superius Aduersariorum Connexum ratiocinemur.

Si verum est quod volunt, Fideles nō coniungi nec habere communionem cum Christi Corpore, quia, quum sint ipsi corporei, necesse esset illam coniunctionem fieri per contiguitatem, vel per commixtionem & confusionem, &c. quæ tamen omnia Orthodoxi reiiciunt: Si, inquam, hoc verè connectitur: Ergo Christus cum fidelium corporibus nullam habet cōmunionem. ἀδύνατον. Sic enim Paulus: *An ignoratis corpora vestra esse membra Christi* &c. Item: si corpora fidelium nullam habent communionem cum Christo: non igitur resurgent ad vitam æternam. Quod absit vt vel cogitemus. Iam si spiritualis illa & mystica Christi cum fidelibus, hoc est, cum fidelium, non animis tantùm, sed etiam corporibus coniunctio negari non potest: obsecro te, cur negabis spiritualem & mysticam Corporis Christi nobiscum cōiunctionem? Cur non illa ipsa virtute qua potest nos totos secum coniungere, poterit se totum coniungere nobiscum? Atque vt id nō negemus, faciunt hęc Christi verba significantissima: *Qui manducat meam Carnem & bibit meum Sanguinem in me manet & ego in eo.* Nec eos adiuuat diuerticu-

1.Cor.6.

Ioan.6.

lum quod sibi videntur comparare ex hac distinctiuncula *secundum se*, quam identidem vsurpant Monachi, qui etiam negant, Christum ipsum verè cũ animis nostris spiritualiter cõiungi.

Secundum se.

Euoluamus igitur homonymiam hoc modo: Si hoc loquendi genus *Christus secũdum se* idem Monachis significat acsi dicas, Christum ipsum (sic enim Philosophi Subiectum ipsum tradunt dici καθ' αὑτὸ: quod tamen præstat interpretari *per se*, quàm *secundum se*.) nihil afferunt quamobrem negent, Christum ipsum cum animis nostris coniungi; nisi simul id negent quod verbis expressis Scriptura toties affirmat: vt proximè audiuimus ex ipso Christo. *In me manet & ego in eo.* En tibi Christus ipse de se loquens. Sed si intelligunt *secundum se*, quasi dicant, secundum Inexistentiam, vel præsentiam, vel coniunctionem corporalem: certè nemo nostrum negat quin ad Crassam & corporalem cõiunctionem requiratur corporalis ipsorum corporum coniunctio. Verumenimuero Sacramentum Cœnæ Domini non eo spectare, quin potiùs, nos coniungi cum Christi corpore, adeóq; cum ipso Christo spirituali coniunctione, spero iam à nobis confectum, testimoniis (vt aliquando dicebat Augustinus) diuina luce clarissimis, diuina auctoritate firmissimis. Quum igitur ita connectunt: Christus Θεάνθρωπος non coniungitur

Ioan. 6.

cum

cum animis nostris *secundum se*, hoc est corporali coniunctione: nullo igitur modo cum animis nostris coniungitur: peccant ἀπὸ τοῦ ἀλλοτρίου, vt initio huiusce disputationis diximus. Ecquod porro est istud loquendi genus? Christus *secundum se*: hoc est, secundum Corpus tantùm: aut tantùm secũdum præsentiam & coniunctionem corporalem? Quid? Nonne Christus secundùm se (vt isti loquuntur) non tantùm est præditus animo & corpore, sed etiam est θεάνθρωπος?

Errores aduersariorum.

Duos igitur eosdémque grauissimos errores admittunt Aduersarij: vnum, quòd communionem Corporis Christi eo loco habent quo vulgò habentur corporeæ rerum naturalium, adeóque sensus expertium coniunctiones, neque cogitant, hîc agi de Christo θεάνθρωπῳ, & de coniunctione spirituali, mystica, supernaturali: quippe quæ fit per fidem efficacitate Spiritus sancti. Solus enim cõtactus Corporis Christi non viuificaret: nec omnes illi qui manibus Christum contrectarunt, vitam habuere: sed illi demum qui ipsum vera fide contigerunt. Cuius rei argumento est, quòd quum Christus à turba premeretur, tamen quum eius vestem mulier illa quæ fluxu sanguinis laborabat, cum fide tetigisset, tunc demum Christus: Quis me tetigit? inquit. Nã Christus fide tangitur, vt ait Augustinus. Atq; alicubi ita de hac muliere locutus est: Ma-

Luc. 8.

De verb. D. Ser. 60.

De cons. Euang. lib. 2. c. 10.

Matth. 8. gis tetigit Dominum quàm illæ turbæ à quibus premebatur. Vt enim hęc quò magis credidit, eò magis tetigit Dominum: ita & Centurio quò magis credidit, eò magis accessit ad hominem. Hæc Augustinus.

Alter error est: quòd ita de fidelibus loquuntur, vt si essent sola corpora, cuiusmodi sunt lapides, ligna, plantæ & cætera eiusmodi: ac propterea cẽsent, Corpus Christi non posse coniungi cum fidelibus, nisi eo modo quo lapides, ligna & plantę inter se coniunguntur. Atque hæc, non vitia tantùm, sed etiam flagitia à piis mentibus & ab omnibus Theologicis disputationibus arcenda sunt. Quum enim Christus S. Cœnam institueret, compellauit Discipulos, hoc est, homines animo & corpore constantes &, quod longè maius est, vera fide prædítos, & de hoc mysterio iam antè ab ipso Christo admonitos, vt perspicuum est ex cap. 6. Ioan.

Ineptum est igitur & ridiculum, quod illi de communi notione vocabulorum proferunt: nisi fortè dicamus, tot Scripturę locos de spirituali Christi nobiscum coniunctione à nobis antè commemoratos, solis istis esse incognitos. Est autem notio Vocabulorum cẽsenda ex earum rerum natura de quibus agitur, & ex natura eius scientiæ in qua versaris. Fateor tamen, sanctissimum hoc mysteriũ ita quibusdam vocabulis & loquendi generibus adum-

adumbrari, vt nullis vocabulis nullísque loquendi generibus, quæcunque tandem illa sint, explicari possit: Alioqui non esset mysterium: cuius hæc est natura, vt à nostris animis dignè comprehendi & concipi nequeat: nedũ possit vllis vocabulis exprimi. Laudatur vetus illa sententia, Deum esse, cuius centrum est vbique & circunferentia nusquam. Quod quidem isti homines vix vlla communi notione vocabulorum explicauerint. Verùm, audio quid illi ipsi (quibus efficacitas Spiritus Sancti non sufficit) contra obiiciant: Hanc efficacitatem esse causam efficientem: Je verò à nobis formalem huiusce coniunctionis causam flagitare. Quasi verò effecta Spiritus Sancti possint esse sine formis sibi conuenientibus. Isti verò perinde versantur in hoc argumẽto, acsi inter nos ageretur de rebus naturalibus & materiatis: In quarũ disquisitione, de ipsarum materia & forma quæri solet. Atque ita μετα βασιν εἰς ἄλλο γένος: rerum Diuinarum naturam ex rebus naturalibus metientes. Quanquam, ne ipsarum quidem rerum naturalium formæ (nisi perrarò) accuratè cognosci possunt. Ex quo fit, vt ab ipsis Philosophis naturales causas indagantibus, identidem hic versus vsurpetur: Felix qui potuit rerum cognoscere causas. Quid ergo de illis cẽsendum est, qui rerum Diuinarum formales causas curiosè perscrutãtur? Intellectus quidem humanus

à Spiritu S. per fidē illustratus videt, & (quoad eius fieri potest) percipit res Diuinas: sed simul sentit se ab illarum magnitudine præstātiáque superari. Nec enim hæ res sunt tantùm intellectuales, sed etiā ὑπερφυσικαὶ & supernaturales. Vt radium solis non possumus exactè cognoscere (inquiebat Chrysostomus) & tamen eum admiramur: idem de Dei cognitione censendum est. Hæc ille. Quid quòd ipsi Philosophi, quoties alicuius Actionis causas scrutantur, ad Efficientem causam recurrunt? Sic enim prima Philosophia tradit: Circa Actionem tum nos maximè scire, quum causam efficientem scimus. Quantò id igitur magis dicēdum est nobis Christianis, quùm de Spiritu Sancto in nobis agente disserimus? Quare, si nostræ cum Christo coniunctionis eam formalem causam intelligant, qua piorum vel animi vel corpora à Christo informentur, ita vt essentiali Christi & piorum commixtione componatur aliquod tertium ὑφιστάμενον, facessant à nobis, vnâ cum Valentinianis portentis, quæ iampridem Irenæus doctissimè refutauit. Quod si negent Spiritualem, mysticā, atque adeò arctissimā illam cum Christo coniunctionem, quæ nititur Scripturę firmamentis ἀμετακινήτοις (vt antè à nobis copiosè demonstratum est) ideo, inquam, illam negent, quòd eius formam, quæ accuratam ipsius definitionem, & τὸ τὶ ἦν εἶναι) contineat, non proferamus:

In Psal. 138.

feramus: obsecro te, quàm multa in Theologia negaturi sunt? Credent-ne vllum esse in religione Christiana mysterium? Nam si eius causa, forma & definitio accuratè cognosci potest: non est igitur mysterium: & vicissim: si mysterium est, longè igitur superat humanam intelligentiam: quia μυςικὸν, est ὑπερφυσικὸν. Et (quia isti nobis obiiciunt communes vocabulorum notiones) cōmuniter notum est, quid significet μύειν, à quo Mysterium deducitur. Aliquid autem accuratè explicari, &, esse absconditum, dicitur ἀντιφατικῶς: Quamobrem, huic Aduersariorum interrogationi, de formali causa in rebus Diuinis & Mysticis, opponamus sequentes Scripturæ locos.

Cernimus nunc per speculum & per ænigma, tunc autem coràm. Nunc cognosco ex parte, tūc verò cognoscam prout edoctus fuero. Per fidem ambulamus & non per aspectum. & consimiles, ex quibus efficitur, mysteria nostræ Religionis non planè comprehendi posse in hac vita: sed tantum à nobis intelligi, quātum ratio salutis nostræ postulat: Intelligi (inquā) non ex formalibus causis, aut ex accuratis definitionibus (quo in studio versantur ij qui res naturales tractare solēt) sed ex reuelatione Spiritus Sancti, fidem in animis nostris ingenerantis. Sic enim Christus: 1.Cor.13. 2.Cor.5.

Vobis datum est noße mysteria regni cœlorū. Matth.13.
Item: *Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ* Matth.11.

quòd abscondéris hæc à sapientibus & intelligentibus & ea reuelaueris infantibus. Et Paulus: *Oculus*, inquit, *non vidit, nec auris audiuit, nec in mentem hominis venerunt quæ parauit Deus iis qui ipsum diligunt. Nobis autem Deus reuelauit per Spiritum Sanctum*, &c. *Quæ sunt Spiritus Dei nemo nouit nisi Spiritus Dei: Nos verò non Spiritum mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, vt sciamus quæ Deus est nobis gratificatus: quæ etiam loquimur, non sermonibus quos docet humana sapientia, sed quos docet Spiritus Sanctus, spiritualibus spiritualia comparantes.* Et paulò post ait: *Ea spiritualiter diiudicari.*

1.Cor.2.

Ibid.

Itaque quum Nicodemus mysterium regenerationis, & Capernaitæ mysterium Cœnæ Dominicæ ad naturales, formalésque causas reuocarent, fuerunt à Christo refutati, hinc præclaræ Veterum sententiæ.

Ioan.3.& 6.

Nihil est deterius quàm velle res diuinas humanis rationibus metiri: Inquit Chrysostomus.

In 2.Tim. hom.2.

Nihil de Deo dignè dici potest: inquit Augustinus.

De Gen. cõtra Manich. lib.1.c.8.

Quid de Deo condignè dici potest, qui est sublimitate sublimior, & profunditate profundior? &c. inquit Tertullianus: & eiusmodi pleraque. hinc illud à Scolasticis crebrò vsurpatum.

De Trinit.

Vid. Schol. in lib.3. Sēt. Dist.22.

Mysterium fidei à philosophicis argumentis esse

tis esse liberum.

Hunc igitur sermonem, de formali causa, concludamus, proposito Theologico theoremate, in hunc modum:

Diuinorum Mysteriorum, quæ in Scriptura continentur, explicatio ab ipsa Scriptura proposita, pro ipsorum causa formali habēda est. Exempli causa: Si quæris formalem causam coniunctionis Christi nobiscum in Sacra Cœna: En tibi: *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo:* Inquit Christus. Hæc verba Christi nobis esse debent loco Definitionis huius Mysterij, adeò vt dicere possimus, mansionem Christi in nobis, & vicissim nostram in Christo mansionem, esse Spiritualem, Mysticam & arctissimam illam Coniunctionem de qua disputamus: quæ nec animo comprehendi, nec verbis exprimi satis dignè potest: & quā (vt de Trinitatis mysterio dicebat Augustinus) sic fari possumus, vt eam effari non possimus. Huius sanctissimæ Coniunctionis formam non norunt Aduersarij, quum tantopere causam eius formalem à nobis flagitent. Quinetiā parum illi sibi constant, qui modò communem vocabulorum notionem simpliciter, modò causam formalem à nobis exigant, ὀνοματώδη & ἀνοιώδη Definitionem confundentes.

Ioan. 6.

Verumenimuero (inquiunt) Vbiquitarij & consimiles, Mysterium itidem prætexunt

ſuis commentis. Reſpondeo: Diuina Myſteria non eſſe humana commenta: ac proinde noſtræ veritati cum eorum mendaciis & erroribus nihil eſſe commune. Vt enim alios Scripturæ locos ſuprà à nobis commemoratos prætermittamus, plana ſunt expreſſaque hæc Pauli verba:

Epheſ. 5. *Erunt duo in carnem vnam: Myſterium hoc magnum eſt, loquor autem de Chriſto & de Eccleſia.* Præterea cùm Vbiquitatis & Tranſubſtantiationis commenta veritatem Corporis Chriſti nobis eripiant, pugnant ἀντιφατικῶς cum Incarnationis & vnionis hypoſtaticæ Myſterio, quod Apoſtolus his verbis commendauit. 1. Tim. 3. *Sine cõtrouerſia magnum eſt Pietatis Myſterium. Deus conſpicuus factus eſt in carne,* &c. Quare ita ſtatuendum eſt, id non eſſe Myſterium, quod Myſterio expreſſis Scripturæ verbis propoſito repugnat. Quamuis autem Diuina Myſteria ſint ſupra naturam, non ſunt tamen contra naturam ſanctiſſimo Dei verbo conſtitutam: quandoquidem ὑπερφυσικὸν, non eſt ἀντιφυσικὸν: vt copioſiùs aduerſus vtroſque ſuis locis diſputauimus.

Obiectio III.

SI in hac Enuntiatione: In Cœna Domini fideles manducant Corpus Chriſti, vocabulum Manducandi, per ſimilitudinem intelligendum eſt: Ergo vocabulum Corporis non

cnit

erit intelligendum in propria significatione. Ac proinde exponendum erit de ipsius Christi beneficiis.

Consequentia patet. Quia hæc est Enuntiationis natura, vt vnũ de vno vel affirmet vel neget. Quod si pars Enuntiationis per similitudinem, altera propriè intelligatur, non videbitur vnum de vno affirmari.

RESPONSIO.

FAllit Consequentia: nihilq; præsidij habere potest ex subiecta ratione. Nam in Enuntiatis, verborum sensus potiùs quàm verba ipsa spectanda sunt: præsertim in Theologicis Enuntiatis. Euangelium (inquit Hieronymus) non est in sermonum foliis, sed in radice rationis. Et Hilarius, ex verbis sensus, ex sensu ratio, ex ratione veritas. Proferamus igitur ἐνάργειαν locupletissimas quibus hoc Aduersariorum argumentum refellatur. Simon Bar-Iona est petra. Item: Christus super hanc petram ædificat Ecclesiam. In superiori Enuntiato, vocabulum Petrę vsurpatur per similitudinem: at vocabulum Simonis in propria significatione vsurpatur. Itémque in posteriori Enuntiato: verbum Ædificandi per similitudinem intelligendũ est. At vocabula, Christi, & Ecclesiæ, non item. Sunt eiusmodi sexcenta ex quibus superior obiectio redarguitur. Quare nobis potiùs audiendus erit Augu-

In Epist. ad Gal. cap. 1.

Matth. 16.

De Genes. ad lit. libr. 11. c. 31.

ſtinus ita de hac re diſſerens. Non propter vnius verbi tranſlationem totum figurate accipiendum eſt, inquit. Preterea, ſequeretur ex iſto Aduerſariorum argumento, in inſtitutione S. Cœnæ, Corpus Chriſti eſſe ſimilitudinē Corporis Chriſti (quo in errore ſunt Pontificij Scholaſtici, quum dicunt Corpus Corporis, & Sanguinem Sanguinis eſſe Sacramentū.) Atenim ſatis perſpicuū eſt, Symbola eſſe cōſtituenda in pane & vino, quippe quæ ſint ſigna & ſigilla Corporis & Sanguinis Chriſti. Quòd ſi rurſus Corpus & Sanguis ſigna ſunt, ecquónam tandem erit deueniendū? Verum enimuero Chriſtus ita de ſuo Corpore & Sanguine loquutus eſt: *Quod pro vobis traditur: Qui pro vobis funditur*. Corporis autem ſimilitudinem fuiſſe pro nobis traditam, aut ſimilitudinem Sanguinis pro nobis fuſam, inter Chriſtianos, ne fando quidem auditū eſt. Sed hac de re nobis erunt plura dicēda in diſputatione de Sacramentali manducatione Corporis Chriſti. Vbi copioſiùs explicabimus quemadmodum verum Chriſti Corpus & verus eius Sanguis, adeóque Chriſtus ipſe verus Θεάνθρωπος ab animis noſtris vera fide percipiatur, licet non ſumatur ore corporis, vel per Tranſſubſtantiationem, vel per Cōſubſtantiationem, quas ipſius Corporis Chriſti veritas, ipſaque Sacramentorum natura deteſtantur.

Rurſus

Rursus aliud est incommodũ quo isti maximopere vrgentur. Sequeretur enim ex eorum ratiocinatione, Corpus Christi esse similitudinem beneficiorum ipsius, quod loquendi genus, ne ipsæ quidem aures ferre possunt. Corrigamus igitur superius Aduersariorũ Cõnexum: & quia illi nobis suo more ψευδογράφημα in Theologia loco veri Theorematis obtrudunt: reponamus verum hoc præceptum: cùm in aliis disciplinis, tum in Theologia vtilissimum.

Quotiescunque in Enuntiatione Theologica vocabulũ aliquod per similitudinem vsurpatur: tum, vt accuratè expẽdatur Enuntiatio, Metaphoricum vocabulum, quoad eius fieri potest, proprio vocabulo commutetur: vt verus ac proprius Enuntiationis sensus, ex veris ac propriis vocabulis elucescat.

Quanquam, hîc admonendi sumus, quum de rebus diuinis agitur, vix ac ne vix quidem fieri posse, vt à vocabulis Metaphoricis abstineamus. Etenim ea est tum rerum diuinarum sublimitas, tum ingeniorum nostrorum tarditas atque ignorantia, vt res diuinas verbis satis dignis ac verè propriis exprimere non possimus. Rectè enim Chrysostomus, In rerum diuinarum sermone, verba rebus inferiora esse dixit. Atque hæc de nostra Enuntiatione in qua vnum de vno dicitur cõtrà quàm isti existiment.

De Patien. Iob. hom. 4.

Obiectio IIII.

SI Sacra Cœna instituta fuit à Domino, vt animæ nostræ nutriantur in vitam æternam: Ergo nomine Corporis & Sanguinis Christi aliquid spirituale intelligendum est, ac propterea non ipsum Corpus, nec ipse Sanguis.

Consequentia patet ex vi Relatorum. Vt enim Corpus nutritur ex re Corporali, ita anima ex re Spirituali nutrienda est.

Responsio.

FAllit Connexum hypotheticum. Primus error πρὸς πλὴν ἄγνοιαν τῆς ἀληθείας. Nec enim planè de eadem re loquitur de qua nos loquimur, nec eodē modo. Dicimus, Corpus Christi esse cibum animarum nostrarum: non quia est corporea quædam Substantia, sed quia est Corpus Christi Filij Dei & Mediatoris inter Deum & homines, summique illius Pontificis qui semetipsum in cruce pro nobis obtulit. Itaque non hæremus in Corpore, quatenus est simpliciter Corpus: (quis enim nescit animas nostras ex corporea substantia nutriri nō posse?) sed simul cum Christi Corpore totum Christum intelligimus, & intelligendum esse iam suprà confecimus, ne quis integram salutem à diuiso Christo sperare vnquam audeat. Vt enim non est Christus, nisi sit Christus totus: ita non est salus, nisi sit integra salus. Nam

hæ

hæ res diuisionem non admittunt. Christum autem esse verum animæ cibum qui negat, ille non credit his Christi verbis: *Caro mea verè est cibus & Sanguis meus verè est potus. Panis ille Dei is est qui de cœlo descendit & dat vitam mundo. Ego sum panis ille viuificus qui de cœlo descendi*, &c. Verùm, age, vt res fiat etiamnum dilucidior, paulò accuratiùs expendamus hoc Enuntiatum. Caro Christi siue ipse Christus, est cibus animæ quo anima nutritur in vitam æternam. Hîc, *Cibi*, &, *Nutriendi*, vocabula per similitudinē vsurpari, non tantùm agnoscunt, sed etiam vrgent Aduersarij. Ac proinde contendunt, nomine Corporis & Sanguinis, aliquid tantùm spirituale intelligendum esse: quandoquidem, inquiunt, animus ex re spirituali nutriendus est. Verumenimuero, si verbum, Nutriendi, hîc per similitudinem vsurpatur, cur illud ipsum retines, tum quum vis rem ipsam, detracto similitudinis ornatu, nudam ac simplicem proponere? Nam satis constat, verbum, *Nutriendi*, ad animum, nisi per similitudinem transferri non posse. Ergo in redditione similitudinis non fuit retinendum idem verbum Metaphoricè vsurpatum, siquidem velis accuratè ἑρμηνεύειν. At enim ratio similitudinis vocabuli *Nutriendi*, necessariò postulat, vt animi nostri arctissimè cum Christo Θεανθρώπῳ coniungantur, & sint eius participes, vt ex illo vitam hauriant: tunc

Ioan. 6.

enim Corpus nutritur cibo, quum cibum illum sumpsit, & eũ arctissimè sibi cõiunctum, adeóque assimilatum habet. Id quod iam antè à nobis copiosiùs fuit demonstratum. Ecce quomodo ipsum tuum argumentum & natura relatorum qua niteris, nostram sententiam cõfirmat. Etenim quis est cibus quo nutriuntur, hoc est, fouentur ac sustentantur animi in vitam æternam? Respondet Apostolus: *Christus factus est nobis Sapientia, Iustitia, Sanctificatio & Redemptio.*

1.Cor.1.

Rursus: quomodo nutriũtur animi & fiunt illius Sapientiæ, Iustitiæ, Sanctificationis & Redemptionis participes? Nimirum *per fidẽ*, inquit idem Apostolus, quæ nos efficacitate S. Spiritus arctissimè cum ipso Christo coniungit. Quòd si Sapientiam, Iustitiam, Sanctificationem & Redemptionem putes te posse habere, ita vt ipsum Christum nõ habeas, id Apostolus non patitur. Sic enim ille: *Ex ipso estis in Christo Iesu, qui factus est nobis Sapiẽtia, Iustitia, Sanctificatio, & Redẽptio.* & ipse Christus: *Ego sum panis ille viuificus*: & alibi: *Ego sum vita*: & pleraque eiusmodi: in quibus vocabula Personam ipsam Christi significantia obseruanda sunt.

Eph.1.2.&c.

Ioan. 6. & 14.

Secundus error: quòd isti cõcludunt, id necessariò esse spiritum, cuius consideratur spiritualis coniunctio. Error ἀνάρατος ἐπόμενον suprà iam à nobis refutatus. Quid? nonne ipsa

Beato-

Bestorum corpora post mortuorum resurrectionem erunt spiritualia? Et quidem, ait Apostolus: sed non erunt propterea spiritus. Sic enim Christus de Corpore suo post resurrectionem (cui nostra aliquãdo futura sunt σύμμορφα inquit Paulus) *Contrectate me, spiritus carnẽ & ossa non habet, sicut videtis me habere.* 1.Cor.15. Phil.3. Luc.24.

Tertius error iam in superioribus notatus. Quod nihil hic spirituale intelligunt præter beneficia Christi. Atenim omnia iam sunt in Christo spiritualia, quum etiam gloriosum Corpus, post Resurrectionem, spirituale ab Apostolo dicatur. Quo fit vt idem Apostolus voces Christum, Adamum cœlestem.

Item, *factus est prior homo in animam viuẽtem: Posterior autem Adam in Spiritum viuificum.* Atqui non potes habere animam viuentem, quin sis Adami particeps. Similiter, non potes sustentari à Spiritu Christi viuifico, nisi sis particeps ipsius Christi. Denique ipsa Christi beneficia percipi non possunt, quin percipiatur ipse Christus, quemadmodum suprà ostendimus. 1.Cor.15.

Quartus error. Quòd illi non satis aduertunt ad naturam eius rei de qua disputatur. Agimus enim de sanctissimo mysterio, & quod non iam esset mysteriũ, si naturæ finibus circunscriberetur. Hæc est autem natura ac ratio huiusce misterij, vt arctissimè cohæreamus cũ Corpore & Sanguine Christi, adeóque cum

ipso Christo qui pro nobis in cruce mortuus est: cohæreamus, inquam, per fidem, efficacia & virtute Spiritus Sancti: quæ quidem omnia sunt supra naturam, ac propterea non sunt ex naturæ legibus metienda. Etenim quæro, in futura vita post mortuorũ Resurrectionem, ecquanam re beatorum tum animi, tum etiam corpora sustentabuntur in vita æterna? Spirituali profectò: quandoquidem & ipsa corpora erunt spiritualia, vt antè audiuimus ex Paulo. Quemadmodum igitur futurum est, vt gloriosa corpora sustententur ex re spirituali, idque modo nobis planè incomprehensibili cur non agnoscunt, modo itidem incomprehensibili, ex ipso Christo (cuius etiam Corpus gloriosum est & maximo honore coronatum) animos nostros nutriri & sustentari in vitam æternam?

Retorqueamus igitur argumentum Aduersariorum hoc modo: Si corpus nutritur ex re corporali: ergo animus nutritur ex re spirituali, inquiunt. Nos autem hoc ipso argumento freti sic ratiocinamur. Si corpus nutritur ex re ipsa, non autem simpliciter ex sola rei qualitate & eiusmodi accidentibus: Ergo animus nutritur, non ex solis Christi beneficiis sed ex ipso Christo.

OBIECTIO V.

Rom. 8. Eph. 3. SI Christus in nobis habitat per Spiritum sanctum & per fidem, vt docet Paulus: ergo

go Corpus Christi in nobis nõ habitat. Consequentia patet ex oppositione rerum spiritualium & corporalium.

RESPONSIO.

QVamuis hoc loquendi genus totidem verbis non extet in Scriptura, Corpus Christi habitare in cordibus: tamen, siquidem rectè intelligatur, verum est. Quare si connexum istud agat de habitatione corporea quæ fit modo corporali, nos crassam illam habitationem repudiamus. Tunc enim requiritur, situs, locus & cætera eiusmodi, quæ sunt in rebus aspectabilibus, nõ autem in animis: & esset permixtio & confusio, potius quàm habitatio. Sed si negat spiritualem habitationem, hoc est, veram illam coniunctionẽ quam habemus cum toto Christo (de qua iandudum disputamus) repudiandum est. Fallit enim & ἀπὸ τὴν ὁμωνυμίαν, & ἀπὸ τὴν ἀγνοίαν τοῦ ἐλέγχου. Iam enim superiori disputatione confecimus, nos per fidem, efficacia Spiritus Sancti, arctissimè coniungi cum toto Christo. Quid igitur obstat quominus idem dicamus de habitatione totius Christi in cordibus nostris? Etenim verbum *Habitandi* in eum finẽ vsurpatur, vt magis exprimat sanctissimam illam coniunctionem. Quò etiam spectant hæc Christi verba. *Qui manducat meã carnem, in me manet, & ego in eo.* Absit autem

vt fides, operante Spiritu Sancto, nos coniungat cum vna tantùm parte Christi, ac non potius cum toto Christo. Fides enim amplectitur Christum Redemptorem, Mediatorem, Pontificem: Christum, inquam, pro peccatis nostris mortuum: & pro iustitia nostra à mortuis excitatum: quæ sine Humana Christi natura, & sine Carne & Sanguine ipsius, ne intelligi quidem possunt. Itaque satis erit ad dictis incommodis, superius connexum refellere. Si verba Pauli de Christo habitante in cordibus nostris sunt intelligenda de solis Christi meritis & beneficiis, ac non imprimis de ipso Christo: Ergo hic erit sensus verborum Pauli: *Christus in nobis est*: Itemque, *habitat in cordibus nostris*, inquit Paulus: hoc est (ex istorum interpretatione) Sacrificium Christi, eius merita & beneficia habitant in nobis. At qui merita Christi sunt Mors eius, & ea quæ præstitit pro nobis, & quæcunque ad eius Sacerdotium pertinent. Itaque si quis dicat, Sacerdotium Christi & eius Passionem habitare in nobis, ille haquendi genus vsurpabit incognitum Scripturæ. Est enim spectãda similitudo habitationis, quæ postulat, vt sit aliquis habitator. Itaque Scriptura in hac similitudine, non proponit nobis sola Christi beneficia ac Merita, sed ipsum Christum, qui nos suis meritis ac beneficiis exornat, eò quòd habitat in no-

Rom. 8. Ephes. 3.

in vobis: *Si quis diligit me*, inquit Christus, *Sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & apud eum mansionem faciemus.* Vt igitur ex hac similitudine, non dicimus alicuius solas qualitates domum inhabitare: sed eum inhabitare dicimus, cuius sunt illæ qualitates habitare, inquam, cum suis illis qualitatibus: ita propriè dicendus est Christus habitare in cordibus nostris vnà cum suis meritis quibus suum hoc habitaculum illustrat. Ioan. 14.

Item: si Aduersariorum sententia recipitur. Ergo (quod absit) erit ἀδολεσχία in his Pauli verbis. *Si Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum: Spiritus autem vita est propter iustitiam.* Hîc, si nomine Christi, eius beneficia tantùm intelligis, ac nõ ipsum Christum: erit iste sensus: si mortificatio & viuificatio (quæ sunt Christi beneficia) habitant in vobis, certè mortificatio & viuificatio in vobis habitabunt: quæ erit manifesta ταυτολογία. At longè significantiora sunt Pauli verba, quibus argumentatur à causa continente ad effectum ipsius necessarium. Propterea nobis Christum proponit, ceu causam vestræ mortificationis & viuificationis. Quòd si effectum aliud est à sua causa continente (licet tempore sint simul.) sequitur ἐξ ἀναγκης, Mortificationem & Viuificationem piorum, non esse Christum ipsum in illis habitantem: sed à ipso Christo effici, quatenus in illis ha- Rom. 8.

bitat: hoc est, efficacitate sui Spiritus, per fidem, cum illis arctissimè coniungitur.

Retorquemus argum.

Sic igitur Aduersariorum Conexum in illos ipsos retorquemus. Si Christus habitat in cordibus nostris per Spiritum S. & per fidem, hoc est, si cum toto Christo arctissimè coniungimur, & Ergo cum ipso etiam Christi Corpore spiritualiter, per fidem, efficacitate S. Spiritus, corda nostra arctissimè coniuncta sunt. Neque hic admittenda est oppositio rerum corporalium & spiritualium: quia nos de habitatione & coniunctione spirituali loquimur, quum dicimus illam ipsam habitationem & coniunctionem fieri per fidem, efficacia Spiritus Sancti.

Obiectio VI.

Scriptura in mysterio Cœnæ Dominicæ vtitur vocabulo Præsentiæ. Ergo Corpus Christi non est præsens in cœna Domini.

Responsio.

FAllit Consequens. Sufficit enim quòd res à nobis intellecta vocabulo Præsentiæ, in Scriptura clarissimè continetur. Quocirca dicebat Tertullianus, diuinam rationem esse in medulla. Et Hieronymus: Ecclesia, inquit, in Scripturis sensum ac mentem, magis quàm verba perquirit. Iam verò ex superioribus spero confectum esse, totum Christum

De Resur. carn.

In Zachar. c. 4.

sam in S. Cœna nobiscum arctissimè coniungi. Porrò coniunctio præsentiam includit: & quemadmodum coniunctio est spiritualis, ita spiritualis quoque est præsentia. Itémque quemadmodum Corporis Christi corporalis præsentia in terris non requiritur ad spiritualem coniunctionem: ita nec ad spiritualem præsentiam. Certè hæc verba Christi, *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem in me manet & ego in eo*, necessariò ipsius Christi nobiscum præsentiam inferunt. Nam hæc duo enuntiata: Christus manet in nobis, & Christus abest à nobis, inter se opponuntur. Præterea hæc Christi verba: *Accipite & comedite, hoc est Corpus meum*: non possunt intelligi, nisi constituatur quidam modus præsentiæ Corporis. Nam si solus panis datur in Cœna domini, ipsa igitur non est Sacramentum: quippe quum in Sacramento duo sint, videlicet signum & res significata: & signi traditio significet traditionem rei: ita postulante Sacramentali ἀναλογίᾳ. Quia verò in hac quæstione præsentiam ex coniunctione metimur, ea proculdubio est ratio præsentiæ, quæ est ratio Coniunctionis. Ex quo satis apparet, licet præsentiæ vocabulum vsurpemus, nobis tamen nihil cum crassis monachorum commentis esse commune, qui somniant, panem in hoc mysterio relinqui planè solum, nisi corpus Christi, realiter & substantialiter exi-

stat præsens sub nudis accidentibus panis: quæ de re nobis erit in sequenti tractatu copiosè disserendum.

Si quis igitur ita ex nobis quærat: Quomodo Corpus Christi nobiscum arctissimè coniungatur? Hoc responsum auferet: Coniungitur spiritualiter: quia id fit per fidem & efficacia Spiritus sancti. Ex quo emergit, præsentia Corporis Christi in Cœna Domini esse spiritualē: quia fit per fidem, efficacia Spiritus sancti. Quemadmodum igitur rei corporalis potest esse spiritualis coniunctio: (vt à nobis suprà declaratum est) ita rei Corporalis Spiritualis præsentia esse potest. Plura verò nō sunt addenda, ne superioribus repetendis actum agere videamur. Quare retorqueamus Argumentum hoc modo: Si displicet illis vocabulum Præsentiæ, in hoc mysterio (cuius tamen sensus luculentè extat in ipsis Christi verbis) quantò magis damnandi sunt, qui vocabula à Christo vsurpata in alienum sensum detorquent, & pro Christi Corpore sola eius benēficia proponunt? quum tamen Christus non dixerit, qui manducat mea beneficia, sed potiùs, *qui manducat meam Carnem habet vitam æternam.*

Joan. 6.

OBIECTIO VII.

SI Corpus Christi verè adest in Cœna Domini & verè accipitur: Ergo Christi Corpus

pus corporaliter adest In, Cum, Sub pane, vel Sub specie panis, & à nobis corporaliter & oraliter accipitur. Quid igitur reliquũ est, quin vel ad Transsubstantiationis aut Consubstãtiationis dogma transeamus, vel iis subscribamus, qui nostram substantiam cum Christi substantia commiscent & confundunt? quorũ omnium opinionem qui repudiant, non debẽt iis vti vocabulis, quibus populus in errorem inducatur.

RESPONSIO.

NEgo Consequẽs. Error παρὰ τὸ ἐπόμενον. 1
Nec enim ita rectè aduersus nos connectitur. Si Corpus Christi nobis verè adest præsens: Ergo corporaliter nobis adest præsens in terris. Itémque: si verè à nobis accipitur, ergo corporaliter & oraliter à nobis accipitur. Est enim aliud præsentiæ & perceptionis modus. In cœlo quidem est, Corporaliter, respectu existẽtiæ ipsius Corporis, sed nihilominus est præsens animis nostris per fidem præsentiã spirituali.

Secundus error παρὰ τὴν διαίρεσιν: Nam isti 2.
omittunt quod nos simul addimus: nempe hanc præsentiam & hanc manducationem & perceptionem esse spiritualem: quippe quum fiat per fidem, operãte Spiritu Sancto. Quinetiam detracta similitudine, exponimus quid significet vera manducatio & vera præsentia

Christi: nempe arctissimam totius Christi pro nobis crucifixi communionem.

3. Tertius error; quòd putant nos effectum Cœnæ Domini includere non tantùm in terris; sed in illo loco vbi sanctissimum hoc Sacramentum visibiliter celebratur: addo etiam, in ipsis signis quæ ex Instituto Christi nobis porriguntur. Quod longè secus est. Nos enim in terris existentes, vera fide & virtute Spiritus Sancti Iesum Christum Θεάνθρωπον verũ Deum & verum hominem spiritualiter amplectimur, secundum humanam naturã corporaliter in cœlo præsentẽ. Hanc fuisse Christianæ Ecclesiæ à priscis vsque seculis sententiam, ex eo conspici potest, quòd memoriæ proditũ est, Maiores nostros, quum Cœnam Domini celebrarẽt, admoneri solitos, vt Sursum haberent corda, & fide in cœlum euecti, Christi Corpore & Sãguine vescerentur. Certè nos eò deducunt Apostoli cohortationes.

Symb. Nicæn. &c.

Col. 3. *Si resurrexistis cum Christo, superna quærite, vbi Christus est ad dexteram Dei sedens.*

Phil. 3. *Nos vt municipes cœlorum nos gerimus, vnde etiam Seruatorem expectamus Dominum Iesum Christum.*

Eph. 2. *Nos vnà excitauit & sedere fecit in cœlis*, &c. Neq; sanè in eum finem instituta est Cœna Domini, vt animos nostros in terram demergat: sed vt eos potiùs in cœlum subuehat: quippe quum Sacramenta non sint impedimenta

menta fidei, sed adiumenta. Verè igitur Corpus Christi in cœlo præsens est, corporaliter: & verè spiritualiter præsens est animis nostris, hoc fidei nostræ, qua à nobis percipitur. Et perperam ita concludunt. Si Spiritualiter: ergo non verè: quia nihil tam verè sit, quàm id quod facit Spiritus S. Quamobrem rectè tradunt Philosophi Ens & Verum inter se converti. Quibus Augustinus assentiens: Mihi videtur verũ, id quod est, inquit. & alibi: omnis anima eo anima est quo vera anima est: Item: quod verum nõ est, id mens non intelligit. & Hieronymus: Quod falsum est, inquit, nõ est. Rectè sanè, nam quatenus aliquid est, eatenus verè est: aut falsum esset, illud esse, ac proinde verum esset, illud non esse. Statuamus igitur, Corpus Christi spiritualiter præsens, adeóque Christum ipsum Fidei nostræ spiritualiter præsentem esse, id operante in nobis Spiritu S. & ideo verè præsentem esse, quia hæc præsentia spiritualis, est opus Spiritus Sancti. Atque vt huius tantæ rei vmbram aliquam, licet tenuem, in rebus creatis spectemus. Quæro: quum oculi nostri radiis Solis illustrati, solẽ ipsum in medio cœlo lucentem conspiciunt: an corpus solis est præsens oculis nostris, necne? Respondeat Augustinus: Quomodo, inquit, anima, quæ sunt extra suam carnem sentit, quæ non nisi in carne sua viuit? Annon ab ea carne longissimè absunt sydera in cœlo:

Soli. l. 2. c. 5. De Gen. ad lit. lib. 12. c. 25.

In Epist. ad Gal. c. 1.

Epist. 54.

lum

annon in cœlo videt solem? An & in cœlo vivit, quia in cœlo sentit, & sensus esse non potest vbi vita non est? An sentit & vbi nõ viuit quia quum in sua tantùm carne viuat, sentire etiam in his locis quæ præter eius carnem continent ea quæ tangit aspectu, &c. Anima non nisi in carne sua est, sentit autem etiam præter carnem suã. Ibi quippe sentit, vbi videt: quia & videre, sentire est. Hæc scitè & acutè, hoc est, suo more Augustinus. Ex quibus nostra sanè ratiocinemur: Si vis naturalis hoc efficit, vt corpus Solis tanto locorum internallo à nobis dissitum, sit tamen nobis præsens visualiter: (ita enim dicamus) cur animi nostri irradiante Spiritu Sancto, vt oculis, ita fide illuminata à Spiritu Sãcto, nõ habebunt Christi Corpus sibi spiritualiter præsens, quãtumuis licet in cœlo corporaliter existat? Si visus noster, temporis momento, cum Solis corpore coniungitur, cur Fides non coniunget nos cum ipso Christo, adeóque cum Humana eius natura in cœlo collocata? Si locorum interualla visum non impediunt, num locorum interualla poterunt obstare quominus fides sanctissimo Iesu Christi Corpore perfruatur? poteritne natura, & ipsius naturæ Dominus non poterit? Poterit oculus, & non poterit fides? Num circunfusi Solis radij plus in oculis nostris poterunt quàm spiritualis & diuina, atque adeò efficacissima lux Spiritus S. in animis

nis nostris possit? Absit vt animorum nostrorum ac fidei nostræ cursum, &, quod longè grauius est, ipsius S. Spiritus efficaciam tam angustis finibus terminemus. Nam quid de Stephano dicturi sunt, qui intentis in cœlum oculis, testatus est se videre cœlos apertos, & Filium hominis stantem ad dexteram Dei? Num, obsecro, fide vacuus ita potuit exclamare? Rectè enim Ambrosius: Qui mentis oculos habet clausos (inquit) Iesum ad dexteram Dei non videt. Act. 7. De fid. l. 3.

At enim (inquiunt) potiùs ex illa similitudine Solis poterit colligi, Christum nō nisi secundùm dona gratiæ quæ animis nostris coniungi. Sol enim non coniungitur cum rebus inferioribus, nisi secundùm effectum. Instantia.

Respondeo: si de corporali & locali coniunctione & præsentia loquuntur, certè nemo nescit, Solem esse in cœlo, & nos esse in terris. Sed si propterea negent omnem præsentiam solis, & omnem eius nobiscum coniunctionem, expostulent igitur cum Augustino, qui affirmat, nos in cœlo videre Solem, eumque nos aspectu tangere, quemadmodum Augustinum ipsum suis verbis differentem paulò antè audiuimus. Quibus consentanea sunt quæ alibi scripsit: Si clausis oculis, inquit, faciem contra videndum solem ponamus, nonne mox vt eos aperuerimus, ibi potiùs aciem nostram nos inuenisse, quàm illuc eam Responsio. De Gen. ad lit. lib. 4. c. 34.

perduxisse putabimus? ita vt nec ipsi oculi prius aperti fuisse videantur, quàm illò quò intenderent peruenisse. Et certè iste corporeæ lucis est radius emicans ex oculis nostris, & tam longè posita, tantâ celeritate constringens, vt existimari comparárique non possit, nempe hic & illa omnia tam ampla immensáque spatia simul vno ictu transiri manifestum est, & quid prius, posteriúsue transeatur, nihilominus certum est. Meritò resurrectionis nostræ celeritatem quum exprimere vellet Apostolus, in ictu oculi dixit fieri. Hęc ille. Accusent igitur Augustinum, qui quòd hûc modùm de oculorum acie in Sole ipso defixa loquutus est. Redarguant etiam Philosophos in de sensu & sensili disputantes, vt tradant sensum à præsente & obiecto sensili affici solere. Quin ipsi secum agant, se ipsi interrogent, & (siquidem vnquam attentè in cœlum suspexerint) quærant à se ipsis, nunquam-ne Solem in cœlo collocatum viderint, quamuis ipsi in tetris existentes? expendant apud se atque diiudicent, præsentem-ne Solem videant, an absentem: dispiciant, nihil-ne interfit, inter visum rei præsentis, & speciem rei absentis in memoria repræsentatam? Tactus quidem & gustus corporalem illam præsentiam & contactum requirunt: visus non item, cùm potiùs ab eiusmodi contactu præpediatur. Nec enim id videmus quod tangit oculum, sed vt videa-

mus

nus, ab oculo rem videndam separari & ab eo distare necesse est. Porrò, quid isti sibi volunt hoc loquendi genere? *Secundùm effectum*. Si intelligunt, hoc esse Solis effectum, vt ipsum videamus beneficiò lucis quam emittit: benè quidem sentiunt, sed malè loquuntur. Nam si videre Solem, est effectum ipsius Solis: profectò qui dicit, Solem videri secundùm effectū: ille dicit, Solem videri secundùm quod videtur: quæ manifesta est ἀδολεσχία. Præterea, Sol non dicitur videri *secundùm lucem*, sed *per lucem*. Atque hoc illud est quod dicimus, & ad quod adumbrandum, ex comparatione Solis argumentamur: Nimirum nos coniungi cum Christo efficacitate Spiritus ipsius. Sed si ita vsurpat particulam *secundùm*, vt quod de vno affirmant, de altero neget: nobis igitur exponant, ecquonā modo fieri possit, vt Sol videatur secundùm effectum, & nō videatur secundùm se. Ipsum enim Solem, non autem Solis effectū videri, omnes sensu & ratione præditi facilè intelligunt. Itē, explicent quis sit horū verborum sensus: *Solem non videri secūdùm se*. quod equidem existimo illis demū conuenire qui mente incitati geminos Soles duplicesq; Thebas sibi aliquando videre visi sunt. τούτων δ' ἐλέγχος, ἴασις.

Denique, isti sua sponte cæcutientes perinique dissimulant, se vim nostræ ratiocinationis non videre: qui non eo proferimus similitudinem à Sole ductam, vt ex rebus tan-

tùm similibus argumẽtemur: sed ex comparatione eius quod minus est, cũ eo quod infinitis partibus est præstantius, longè fortius nectimus argumentum. Atque hoc sensu tum veteres, tum Recentiores Orthodoxi, in hoc Mysterio adumbrando, hãc ipsam Solis similitudinem vsurparunt.

Quæ quum ita sint, nihil afferunt Aduersarij quamobrem non dicamus, Corpus Christi nobis esse spiritualiter per fidem præsens in mysterio Cœnæ Domini. Nec inde via vlla patet ad crassos illos errores, quos authoritate Scripturæ freti constanter repudiamus. Quum enim & fidem & virtutem S. Spiritus identidem inculcemus, & hanc præsentiam, perceptionem, & coniunctionem Corporis Christi spiritualiter fieri affirmemus, ita vt de veritate ipsius corporis nihil detrahatur: cur quid, obsecro, loci vel Transsubstantiationi, vel consubstantiationi relinquitur? quin potiùs commune esse potest spiritualis Coniunctionis cum illa Substantiarum & Qualitatum confusione, quam nonnulli introducunt? Obstruimus igitur errorum fontes, tantum abest vt à nostra sententia aliquid manare possit, quo populus prauis opinionibus imbuatur. Eos enim semper damnauimus, & damnamus qui Iustitiã Christi, propter quã iustificamur coram Deo, in nobis inhærere putant, & esse quandã in nobis qualitatẽ, & alia consimilia, quæ pas-

tim

tim Pontificij, partim alij nonnulli sibi opinionis errore confinxerunt: de quibus συμβιῷ dabitur alibi copiosiùs dicendi locus.

Retorqueamus igitur Aduersariorum argumentum hoc modo: Si debemus ab iis loquendi generibus abstinere, quibus populus possit in errorem induci: ne posthac igitur illi dicant, S. Cœnam esse tantùm commemorationem mortis Christi, & signacula tantùm beneficiorum eius: esse signa nuda, & alia eiusmodi complura, quæ proculdubio reuocant innuros Anabaptistarum errores, & sacrorum Mysteriorum tum dignitatem, tum vtilitatem & fructum, nobis imprimis necessarium, extenuant, ac propè è medio tollunt. Quod absit.

OBIECTIO VIII.

SI ad S. Cœnam sine fide accedere non debemus, & fide cum Christo coniungimur: Ergo non satis rectè dicitur, eò spectare Cœnam Domini, vt cum Christo communionem habeamus, quippe cùm iam simus cum eo coniuncti.

RESPONSIO.

INeptissimum est Consequens. Etenim ea est natura communionis nostræ cum Christo, vt quandiu quidem in terris degimus, &, ut Scholastici loquuntur, sumus in via, & non-

dum in patria, sit nobis in Sacra illa communione perpetuò crescendum. Atque id verba Christi manifestè declarant. *Qui manducat meam carnem in me manet & ego in eo:* vbi verbum, *Manendi*, obseruandum est. Significat enim eam coniunctionem, quæ non incipere tantùm debeat, verùm etiam perdurare. Propterea foueri debet rationibus à Christo in eum finem institutis: atque imprimis, Euangelij prædicatione & celebratione Cœnæ Domini. Quod etiam facilè elucescit ex his Apostoli verbis. *Veritatem sectantes cum charitate adolescamus in eum per omnia qui est caput nempe Christus: ex quo totum corpus congruenter coagmentatum, ex vi intus agente, pro mensura vniuscuiusque membri, incrementum capit, &c. Ex quo totum corpus per commissuras & compages suppeditatum & compactum augescit Dei augmento.*

Ioan.6.

Eph.4.

Col.2.

Et Petrus: *Lac illud sermonis syncerum expetite vt per illud adolescatis.*

1.Pet.2.

Porrò, satis constat, hanc nostri cum Christo coniunctionem fieri per fidem, quam quotidie in nobis augendam esse, probant sequentes loci.

Rom.1. *Iustitia per Euangelium retegitur ex fide in fidem.*

Luc.17. *Adauge nobis fidem.*

Marc.9. *Credo Domine, succurre incredulitati meæ.*

Philip.1. *Persuasum habeo fore, vt qui cœpit in vobis*

opus

opus bonum perficiat vsque ad diem Iesu Christi.

Sperantes nos augescente fide vestra; per vos 2.Cor.10.
amplificatum iri in assignata nostra mensura.

Gratias agere debemus Deo pro vobis quòd 2.Thes.1.
vehementer augescat fides vestra.

Precamur pro vobis vt Deus compleat opus Ibid.
fidei potenter.

Det vobis Dominus vt fortiter corroboremini Ephes.3.
per Spiritum suum in interiore homine: vt inhabitet Christus per fidem in cordibus vestris, &c.

Quin & ipsa manducationis Analogia satis id perspicuum facit. Non enim cibus iniicitur in os cadaueris: sed potiùs, homines vita præditi cibum sumunt, quo ipsorum vita sustentetur. Ex quo fit, vt quum semel tantùm sacro Baptismo initiemur, sæpe Cœnam Domini celebremus, vt intelligamus, vitam illam spiritualem, in quam Deus nos regenerauit suo Spiritu, esse in nobis idem idem cibo illis spiritualibus sustentandam. Quamobrē hic Aduersarius nostrorum, est [illegible] in Theologia longè maximum, quippe quum tollat fidei [illegible] incrementum: neque discrimen adhibuit inter initium & progressus. Pro [illegible] ipsorum modum superiorum Obiectionis.

Si audiuda est superiore obiectio, ergo damnandus est Petrus, qui Cornelium & ieiunia familiares baptizauit, fide & donis Spiritus Sancti [illegible]. Damnandus itidem Philippus Act.10. Act.8.

Inconuenientium obiectionis

qui Eunuchum ex toto corde credentem baptizauit: ne sexcenta eiusmodi incõmoda nobis recensenda sint.

Obiectio IX.

Fides est Conceptio & Imaginatio rei absentis. Ergo fidei nihil verè præsens esse potest, quod situ loci absens sit: sed erit tantùm præsens in imagine: & vi Consequentis, Corpus Christi non est fidei nostræ verè præsens in Cœna, sed tãtùm est præsens per imaginationem.

Responsio.

Absurdum argumẽtum: & dignum iis qui Theologiam ne summis quidem labris degustarunt. Nam hic de fide loquimur, quæ promissiones Euangelicas in Christo, adeoq; Christum ipsum amplectitur. Porrò iam supra sed arguimus istud genus connectendi. Non est Corporaliter præsens, non est igitur verè præsens. Quandoquidem vt corporalis præsentia verè dicitur, ita verè dicitur spiritualis præsentia & vtriusque veritas ex vtriusque natura censenda est, quemadmodum iam ostendimus: neque hic videtur esse repetendum. Fidem autem agnoscimus non esse sine cogitatione & assensu: sed, fidem esse plusquam humanam cõgnationem & plusquam humanum assensum, affirmamus. Itaque, quæ

ita

a nobis describunt fidem: vt sit tantùm mentis conceptio & imaginatio, certè errores erroribus cumulant. Quamobrem satis fuerit absurda inde consequentia digito commonstrare. Nam crassos eiusmodi errores indicare, refutare est.

1 Si fides est tantùm imaginatio: ergo fides non differt ab opinione.

2 Fides Christianorum erit tantùm historica fides, communis cum plerisque reprobis, ac ne ipsis dæmonibus incognita, vt docet Iacobus. Iac. 2.

3 Fides Christianorum non erit πληροφορία, cui cum sola imaginatione nihil commune esse potest.

4 Fides Christianorum non erit fiducia καὶ παῤῥησία, à qua imaginatio distat longissimo interuallo.

5 Fides Christianorum non erit donum Dei ὑπερφυσικὸν. Nã imaginatio & mentis conceptus est homini naturalis.

6 Fides non obsignabitur à Deo in animis nostris per Spiritũ Regenerationis. Nam res externæ ingerunt imaginationem.

7 Non crederetur corde ad Iustitiam, sed crederetur φαντασίᾳ ad opinionem.

8 Ac ne plura quæ sunt innumerabilia consectemur: Si pro fide substituatur imaginatio: certè nulla erit pij & hypocritæ, nulla electi & reprobi, nulla certitudinis & dubita-

tionis multa denique veri & falsi differentia quæ omnia qui exæquant, illi verè diuinarum humanarumque duce propemodum extincta, noctem perpetuam rebus omnibus inducunt. Huic errori omnium exactissimo opponamus ea quæ Scriptura tradit de efficacitate & ἐνεργείᾳ Spiritus Sancti: cum qua somnium istud de Imaginatione stare nō potest. Ergo in hoc negotio de quo agimus tres potissimum gradus ex ipsa Scriptura considerari solent. Primum, Spiritus Sanctus generat in nobis fidē, secundùm efficacem eius potentiam, inquit Paulus: κατὰ τὴν ἐνέργειαν. Deinde, idem Spiritus nos cum Christo arctissimè coniungit, secundùm potentiam efficaciter in nobis agentem, inquit etiam Paulus: κατὰ τὸ κράτος τῆς ἰσχύος. Denique nos reddit beneficiorū Christi participes, ex vi intus agente, inquit idem Paulus, κατ' ἐνέργειαν. Videmus igitur hæc omnia referri ad Diuinam efficaciam, ne quis in humana & naturali cogitatione, & vt isti loquuntur, Imaginatione subsistat. Iam quam ex ista illa Imaginaria fide, quam sibi cogitatione depinxerunt, ita concludunt: Rem seu loci absentem, non posse verè præsentem esse fidei: hoc etiam subiecto incommodo sic refellamus. Si locorum interualla obstant fidei quominus res locis dissitas possit spiritualiter præsentes habere: Ergo temporum quoque spatijs fides intercluſa, neque res præteritas, neque

Eph. 1.

Eph. 3.

Eph. 4.

Absurdum ergo.

atque futuras spiritualiter præsentes habebit, *Maior.* Sic enim fides non erit fides: siquidem Apostolo credimus fidem nobis describenti his verbis.

Fides est illud quod facit vt extent quæ speratur, & quod demonstrat quæ non videntur. Heb.11.
Fides igitur habet res sibi spiritualiter præsentes.

Fides effecit vt inter Galatas *Christus esset, depictus ob eorum oculos crucifixus.* Ergo fides res spiritualiter præsentes facit. Gal.3.

Abrahamus vidit diem Christi & gauisus est. Ioan.8.

Patriarchæ promissa Euangelica *sunt eminus conspicati & amplexi credentes*, Et *Moses intuebatur in præmij largitionem.* Ergo promissa Euangelica fuerunt illis per Fidem spiritualiter præsentia. Heb.11.

Fideles etiamdum in terris agentes, *habent sum conuersum in cœlo.* Sunt igitur in cœlo per fidem spiritualiter præsentes. Phil.3.

Paulus precatur vt Ephesij *illuminatis oculis mentis suæ scirent magis ac magis quæ sit spes vocationis Dei: & quæ opes gloriæ hæreditatis ipsius.* Ephes.1.

Fideles *transierunt à morte ad vitam: & in requiem Dei ingressi sunt.* Ioan.5. Heb.4.
Denique futuram Resurrectionem & vitam æternam certissima fide contemplamur atque apprehendimus, & nostram iam esse credimus, eáque spe & fide gloriamur, inquit Paulus: & sustẽtamur in me- Rom.5.

diis huius vitæ procellis: quod quidem præstare Apostoli verbis quàm nostris explicare.

Heb.6. *Validam consolationem habeamus, nos qui cursum eò corripuimus, vt spem propositam retineamus: quam velut anima anchoram habemus tutam ac firmam & ingredientem vsque in ea quæ sunt intra velum: quò præcursor pro nobis ingressus est Iesus secundum ordinem Melchisedec: Pontifex factus in æternũ.* Hæc Apostolus.

Eos igitur pudeat, qui fidem à Spiritu Dei in animis piorum ingenitam, vllis vel locorum, vel temporum spatiis circunscribunt. Cæterùm, quia in hunc errorem delapsi sunt, quòd vim ipsius Fidei penitus ignorarint: quædam addemus, ex quibus vera fidei natura, vis & præstantia melius intelligi possit.

Fides est donum Dei, & generatur in animis nostris per Spiritum Sanctum illuminantem oculos mentis nostræ, & in nostris cordibus obsignantem promissiones Dei in Iesu Christo, in quo vno fides ipsa defixa est. Ac proinde fides nõ est humanum opus: sed opus Dei suam potestatem, virtutémque ineffabilem exerentis. Sic enim Paulus: *Quàm sit excellens magnitudo potentiæ eius in nobis qui credimus pro efficacitate fortis roboris ipsius, & τὸ ὑπερβάλλον τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος αὐτοῦ,* inquit. Id quod magis etiamnum eluceſcet ex ſequentibus:

Ephes.1.

Phil.1. *Vobis datum est, non solùm in Christum vt credatis,*

ro, sed etiam pro ipso pati.

Pater ille gloriæ det vobis Spiritum sapientiæ & Reuelationis per agnitionem ipsius. Ephes.1.

Confiteor tibi Domine cæli & terræ, quòd absconderis hæc à sapientibus, & reuelaueris infantibus. Matth.11.

Nemo nouit Patrem nisi Filius, & cuicunque voluerit Filius reuelare. Ibid.

Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui in cælis est. Matth.16.

Scimus Filium Dei venisse & dedisse nobis mentem, vt cognoscamus illum qui verax est. 1.Ioan.5.

Diuina vis omnia nobis donauit quæ pertinẽt ad vitam & pietatem, per agnitionem eius qui vocauit nos ad gloriam & virtutem. 2.Pet.1.

Quis credidit sermoni nostro, & brachiũ Domini cui reuelatum est? Ioan.12. Esa.53.

Nos non spiritum mundi accepimus, sed Spiritum qui est ex Deo, vt sciamus ea quæ nobis Deus donauit. 1.Cor.2.

Qui credunt in nomen eius, qui nõ ex sanguinibus, neque ex libidine carnis, sed ex Deo geniti sunt. Ioan.1.

Cuius Deus aperuit cor, vt attenderet ad ea quæ dicebantur à Paulo. Act.16.

Nouerat enim à principio, quinam essent qui non credebant, & quis esset eum proditurus: & dicebat: Propterea dixi vobis neminem posse venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo. Ioan.6.

Prout cuique Deus partitus est mensurã fidei. Rom.12.

Et pleraque eiusmodi, ex quibus perspicuum est, inter alia Dei dona, fidem esse Dei donum præstantissimum, cuius etiam fructus longe vberrimi intelligi possunt ex iis quæ sequuntur.

Fide reconciliamur Deo, coniungimur cū Deo, purificamur, iustificamur, sanctificamur, viuificamur, glorificamur. Atque omnino, fide Deum videmus, fide tangimus, fide amplectimur: & in vno Iesu Christo Deo ac vero homine conquiescimus. Quæ quidem omnia lucēt claris, expressisque Scripturæ testimoniis: adeò vt qui hæc de vera Christianorum fide non credat, ille Christianæ fidei plane expers iudicandus sit. Quāobrem merito suo commendantur Maiores nostri, qui præclaris sententiis nos ad præstantiam fidei contemplandam, & ad fructus eius vberrimos percipiendos, sunt adhortati. Sic enim Cyprianus. Tantum possumus, quantū credimus, inquit. Item: Fides est Dei donum & illi debetur omnis victoriæ gloria. Et Ambrosius, Crediderunt homines, inquit, quia Deus in iis operatus est, vt crederēt. Nos Christum in cœlo sedentem manu contrectare nō possumus, sed Christum fide contingere possumus, inquit Augustinus. Idem. Si vides, non est fides: Itémque: Animæ tuæ anima, fides est. Idem: Tangit Christum qui credit in Christū. Item: Fidem tenet certissima scientia, & clamat conscientia. Item: Gressibus fidei in altum ascen-

Aduers. Iud. l. 3. c. 42.
Id. de dupl. martyr.
De Vocat. Gent. l. 1. c. 8.
In Epistol. Ioan. Tr. 1.
In Ioan. Tr. 68. & 49.
Serm. de Temp. 152.
De Trin. l. 13. c. 1.
In Apoc. hom. 5.

ascendimus. Idem: Fides, bonorum omnium fundamentum: porta vitæ, ianua regni. Item: Fides habet oculos suos quibus quodammodo videt verum esse quod nondum videt, &c. Cui assentiens Ambrosius, magis, inquit, videtur, quod non videtur. Et Hieronymus, sicut oculi corporis illuminantur ab alia luce: sic oculi cordis illuminantur à virtute fidei. Sic denique Chrysostomus: Fides, inquit, est certior quibuslibet demonstrationibus. Item: Fidei oculi acutè vident, & à nulla re visibili decipi possunt. Item: Fide nihil potētius. Item, Fides est scala à terra in cœlum & consimilia plerague. Ex quibus omnibus facilè colligitur istius Obiectionis de imaginatione fidei refutatio: adeò vt ad hanc rem minimè opus esse videatur longiori disputatione.

De Temp. Serm. 18. & Serm. 83. Epist. 85. De iis qui myst. init. In Psal. 26. In Epist. ad Rom. hom. 8. In Gen. hom. 28. Homil. de fide Anna. In illud Pſ. 115. Credidi.

OBIECTIO X.

SI fides est nexus, quo vnimur cum Christo, & ipsa fides est vnus ex spiritualibus effectibus Christi: Ergo Christus cōiungitur cum animis nostris secundùm effectum tantùm. Vna enim res non vnitur alteri, nisi per id, & secundùm id quo alteri connectitur.

RESPONSIO.

IN hac obiectione tot propè sunt errores, quot vocabula: quos antequam recenseo, quædam nobis de Dei donis, ex ipsa Scriptu-

ra repetenda sunt.

Esa.3. Ioan.3.6. 1.Cor.1. Rom.8.&c. 2.Cor.2. Rom.5. 1.Tim.1. Tit.3. Heb.1.2. &c.

Primò, Scriptura tradit Christum à Deo Patre nobis datum esse, vt vitam æternam sua morte nobis compararet.

Secundò, Remissionem peccatorum, Reconciliationem nostram cum Deo, Iustitiam & salutem, esse Dei dona & fructus quos ex Christi meritis & ex salutifera eius morte percipimus.

Rom.4.5. Act.13. Gal.3. Philipp.3. &c.

Tertiò, quia dona Dei, nisi accipiantur, inutilia, ac (si propriè loquimur) ne dona quidem sunt: idcirco Scriptura docet, remissionem peccatorum, iustificationem & salutem fide à nobis percipi, vt eis fruamur.

Philip.1. Ephes.1. &c.

Quartò, illam ipsam fidem esse Dei donũ, ab eadem Scriptura didicimus. Nam Christus ita nobis efficaciter sua confert beneficia, vt simul facultatem in nobis operetur, qua illius beneficia recipimus: ita lucem exhibet, vt simul det oculos quibus possimus lucem illam intueri: ita profert cœlestes diuitias, vt simul in nobis formet manum qua munera illa cœlestia prehendamus. Quod Augustinus scitè expressit his propè verbis: Ipsa est fides quam à nobis exigit Deus, & non inuenit quod exigat, nisi donauerit quod inueniat. hæc ille. Sed de præstantia & vsu fidei (quę donum Dei est) plura diximus in superiori responsione. His igitur substratis, iam errores huiusce obiectionis recenseo.

In Ioann. Tract.29.

Primus

Primus error, Ἄγνοια τοῦ ἐλέγχου. Quæritur enim inter nos, utrùm in Cœna Domini sola Christi beneficia, sine Christo ipso: an verò Christum ipsum cum suis beneficiis percipiamus. Itaque isti sermonem traducunt à re percipienda ad modum rei percipiendæ.

Secundus error, in hoc vocabulo *Effectum*. Nam Remissio peccatorum, vita & Salus dicuntur effecta Mortis & Passionis Christi: hoc est, præstantissimi illi fructus quos ex morte Christi percipere debemus. Fides etiam dicitur effectum Christi, eò quòd Christus, efficacitate Spiritus Sancti, fidem in animis nostris operatur. Ista igitur non sunt cōfundenda, atque quæ Christus fecit pro nobis: & quæ Christus facit in nobis. Ad quod isti non attendunt, ac proinde peccant, [illegible]

Tertius error, in consequenti. Quod enim obscure, hinc cum est istud concludere genus? Fide vnimur cum Christo: Ergo nos vnimur cum Christo secundum eius beneficia & effectum tantum. At quicunque valeret hoc consequentia, necesse esset dicere, fidem posse quidem percipere Christi beneficia, sed non Christum ipsum. [illegible] Nā Christus cum suis meritis ad beneficiis est obiectum fidei nostræ, quemadmodum [illegible] ab omnibus Theologis receptum est. Et certè beneficia Christi sine ipso Christo, non modò

non credi, sed ne intelligi quidem possunt. Porrò, quum dicunt, *secundùm effecta*, rursus pro Re, modum Rei substituunt. Nam particulam *secundùm* significare modum rei, nimis notum est.

Quartus error: Κντίφασις. Etenim eò redit istorum Conexum: Si fide vnimur cum Christo: Ergo non vnimur cum Christo *secundùm ipsum*. Quid aliquidne intelligunt de Christo quod non sit secundùm Christum? Ipsum igitur non est ipsum: &, vniri cum Christo, non est cum Christo vniri. Atque hunc, non iam errorem, sed grauissimum animi morbū Philosophi vocant ἀρρωστιαν ἀγρίαν. Sed istos de Christo non secundùm Christum loquentes valere iubeamus.

Restat vt superius Conexum in Adversarios retorqueamus in hunc modum. Si [illegible] & secundum id [illegible] in egregio suo [illegible] & per Adam cum Christo [illegible] Spiritualiter [illegible] Christo [illegible] est Spiritualis. Nam particula *secundùm* [illegible] (inquiunt Scholastici) [illegible] nihil aliud efficiunt Adversarij, nisi, tam coniunctionem quam nobis cum Christo intercedit, esse Spiritualem: id quod non tantùm admittimus, sed etiam in-

Primus

cuscamus, vrgemus, & Monachos præsentiam Christi corporalem sub accidentibus panis & vini delitescentem obtrudentes, firmissimis argumentis refellimus: vt in sequenti Tractatu manifestum erit.

OBIECTIO XI.

SI eodem genere cõiunctionis vnitur Christus spiritualiter cum animis piorum in Cœna Domini, quo fideles veteris Testamenti olim vniti fuerunt cum Christo venturo (vt fatentur illi qui asserunt spiritualem, Mysticam & arctissimam ipsius Christi coniunctionem cum animis nostris, & ad eã rem proferunt hæc Pauli verba: *Patres nostros omnes eandem escam spiritualem edisse*) Ergo Christus vnitur cum animis piorum, tantum secundum spiritualem fidei aut gratiæ effectũ, quem merito Passionis Christi futuræ Veteres perceperunt: & nõ vnitur secundum se. Consequentia patet. Quia quum nondũ Christus, vt homo, esset actu: non potuit vniri cum fidelibus veteris Testamenti, secundum se. Nam quod non actu, sed solum potentiã est, quomodo potest actu cum alio vniri? 2.Cor.10.

RESPONSIO.

QVandoquidem ij qui Oralem veri & naturalis Corporis Christi manducationem vrgent in Cœnæ Dominicæ 1.Cor.10.

mysterio, idem nobis obiiciunt: peto à lectoribus, vt ne grauentur ea legere quæ illic à nobis hac de re exposita sunt; nempe in tractatu de manducatione Sacramentali, in responsione nostra ad Obiectionē 4. Nunc autē paucis ad hanc obiectionem respondeo. Fallit cōsequentia propter errores huius syllogismi è quorum sylua aliquot nobis recensendi sunt.

Primus error: Quia ambiguis verbis conceptum est Antecedens. Nam cùm hæc sint coniunctionis species (quantùm ad hanc quæstionem attinet) vt alia coniunctio sit Corporalis, alia Spiritualis: ita dicendum fuit: Si eādem specie cōiunctionis piorum animi vniuntur cū Christo in S. D. Cœna, qua fideles Veteris testamēti olim cum Christo vēturo vniti fuerūt, & hi vniti sunt cū Christo vēturo coniunctione Spirituali: Ergo piorum animi in S. Domini Cœna vniuntur cū Christo, spirituali coniunctione. Quod quidem verum est: atque ita procederet argumentum. Sed isti ita loquuntur, vt si plures essent spirituales cum Christo coniunctiones, eedémque toto genere differentes. Cæterùm, pios maiores sub vetere Testamento ipsum Christum spiritualiter participasse, quem nos itidem spiritualiter participamus, disertis ac dilucidis verbis Apostolus affirmauit, inquiens, *Nolim autem vos ignorare fratres, Patres nostros omnes sub illa nube fuisse, & omnes per mare transiisse, Et*

1. Cor. 10.

omnes

omnes in Mosen Baptizatos esse nube & mari, Et omnes eandem escam spiritualem edisse, Et omnes eundem potum spiritualem bibisse. Bibebant enim ex sequente spirituali Petra. Petra verò erat Christus. Ecce tibi quemadmodum ille ipse Christus fuit propositus piis maioribus sub lege constitutis qui nobis hodie proponitur, quē illi spiritualiter & vera fide amplexi sunt, & quē nos spiritualiter & vera fide amplectimur. Non enim dixit Paulus Petram illam fuisse effecta Christi, sed fuisse Christum.

Secundus error: Quia separat effecta Christi ab ipso Christo: quod esse Αθεόλογον iam suprà ostendimus. 2.

Tertius error: in his verbis *secundùm effectum spiritualem fidei aut gratiæ*: sic enim præclarè, scilicet, ratiocinātur: Si Christus spiritualiter coniungitur: ergo secundùm effectum spirituale fidei cōiungitur. Cùm ita potiùs cōnectendū sit: si fide cōiungūtur: ergo spiritualiter: ne mihi dicendū sit, ἀδολεσχίαν esse in his verbis, *spiritualiter*, &, *secūdū effectū spirituale*. 3.

Quartus error: in his verbis *fidei aut gratiæ*: licet enim fides à Dei gratia proficiscatur, (est enim donum Dei, vt antè diximus) tamen adhibenda est distinctio, inter fidem & merita Christi, quibus ecclesiam redemit. Nam illa, sunt effecta ipsius gratiæ: effectum autem fidei ab illa ipsa gratia proficiscentis, est eiusmodi, vt efficacitate Spiritus S. percipiat beneficia 4.

ac merita Christi, quibus nostra iustificatio & salus continetur, itaque id quod percipitur, cum eo quod percipit confundēdum non est.

5. Quintus error: in his verbis *Christus vnitur cum animis piorum, non secundum se*, quod loquendi genus iam antè redarguimus. Ecquid enim sibi vult istud *secundùm se*? Cùm enim Christus sit verus Deus & verus homo, verus Θεάνθρωπος, quæro ex istis, ecquid negent vniri cum animis nostris *secundùm se*? Diuinam-ne, an humanam naturam, an verò vtramque? Enimuero si de vnione essentiali intelligunt (id quod innuit hæc eorum locutio *secundùm se*) talem nos vnionem Christi, vel cum Veteribus fuisse, vel hodie nobiscum esse, pernegamus. Semper enim ab hoc mysterio excluſimus essentiarum confusionem, mixtionem, infusionem & quidquid eò referri potest. Detrahant igitur istius ἀμφιβολίας integumentum, & aperte dicant, se, his verbis, *secundùm se* intelligere modum corporalis coniunctionis, quem nos ab huius sanctissimi mysterij cancellis procul eiicimus. Sed omnino ineptum est, atque adeò ἀπρόσεκτον hoc loquendi genus, *secundùm se*, hoc est, secundùm corporalem coniunctionem Christi. Quasi verò nihil aliud in Christo consideremus quàm humanam eius naturam. Atqui Christus *secundùm se* est Θεάνθρωπος Deus & homo.

6. Sextus error: quia hæc verba *secundùm se* & se-

le, *secundùm effectum* significant propriè modum coniunctionis, non autem res ipsas quæ coniunguntur. Isti autem perperàm, posito modo, volunt rem ipsam tollere. Quinetiam, non animaduertunt, se loqui præter Scripturæ vsum, quæ non dicit, fideles coniungi cum effectis gratiæ Christi: sed potiùs cum ipso Christo, cuius illi & sentiunt effecta, & beneficia percipiunt. Atqui nobis cum Scriptura & sentiendum est & loquendum.

7. Septimus error, idéque multiplex, in ratione cõsequentiæ. Quum enim (inquiunt) Christus, vt homo, nondum esset actu: non potuit secundùm se, vniri cum fidelibus veteris Testamenti, sed tantùm secundùm effectum gratiæ, quem perceperunt merito passionis Christi futuræ. Quod quidem ita refarguo:

Quum Christus, vt homo, nondum esset actu (vt loquuntur:) quonam tandem modo erat meritũ passionis Christi? Num Christus, vt homo, mortuus est, antequam esset homo actu, hoc est, antequam esset mundo exhibitus? nonne priùs nascituras erat, quàm moriturus? Si Veteres perceperunt effectum meriti passionis Christi (vt isti agnoscunt) nonne perceperunt effectum ipsius Christi suo tempore passuri? Etenim, quis non videt, meritum passionis Christi futuræ, esse meritum Christi passuri? Ecquis vnquam (præter istos) existimauit, passionem Christi sine Christo

intelligi posse? Alioqui simul esset & non esset passio Christi. Absonum. Quòd si futura passionis Christi Veteres senserunt præsentem effectum, eiusque præsentem gratiam percepe-runt: cur non potiùs idem dicemus de ipso Christo? semper enim, velis nolis, huc revolu-uetur oratio: nempe, Veteres priscis illis tem-poribus iam sensisse effecta Christi suo tem-pore opus nostræ redemptionis peracturi. Si fatentur, Veteres fuisse coniunctos cum effe-ctis Christi hominis futuri, cur non potius fa-teantur, eos cum ipso Christo homine futuro fuisse coniunctos? Quid? si remissio peccato-rum, Iustificatio & Salus sunt effecta mortis & passionis Christi, adeóque ipsius Christi be-neficia longè præstantissima, potuerunt-ne illa, vel sentiri, vel percipi extra Christum θεάν-θρωπον, extra quem nulla est salus? Si Veteres non extra Christum, sed in Christo, & cum Christo θεανθρώπῳ salutem adepti sunt, quo-modo potest negari, Veterum illorum cum ipso Christo coniunctio? Nimirum ita sta-tuendum est, veterem Ecclesiam Israeliticam habuisse Christum Caput, alioqui non fuisset Ecclesia, quam scriptura docet esse vnius Ca-pitis vnum Corpus. Vitam autem manare à capite ad corpus, sine vtriusque coniuncti-one, ne cogitari quidem potest. Cæterùm, quum isti volunt, temporibus veteris Testa-menti, Christum fuisse hominem potentis-

lum, non satis plenè, nec theologicè loquun-
tur. Nam si, temporibus illis, Christus fuit ho-
mo tantùm potentiâ, obiiceret aliquis, Chri-
stum igitur potuisse non esse hominem: ex ra-
tione vel δυνατῶ (omnis enim potentia est
contradictionis, inquit primus Philosophus.)
Nec enim hoc fuit ex iis rebus futuris, quæ de-
pendent ordine naturali: & ipsi Philosophi
distinguunt, inter τὸ μέλλον, & τὸ ἐνδεχόμενον. Sed ita
dicitur plenè & ὀρθοδόξως, Christum fuisse
omnino nasciturum: quia *Euangelium fuit pro-*
missum in Lege & Prophetis, inquit Paulus. Et, Rom.1.
Christus fuit minister circumcisionis pro Dei ve- Rom.15.
ritate, vt confirmaret promissiones Patrum (in-
quit idem Paulus) &, vt alibi scriptum est, *fieri*
non potest vt mentiatur Deus. Quare dicendum Heb.6.
est, Christum à Deo promissum non potuisse
non nasci, quia Christum nasciturum promise-
rat Deus, non modò verax, sed ipsa etiam ve-
ritas. Quum igitur isti dicunt, Christum fuisse
hominem tantùm potentiâ, malim dicere cum
Orthodoxis & piis maioribus, Christum non-
dum in carne tunc exhibitum.

Denique (ne abyssum exhaurire velle videa- 8.
mur) octauus error, idémque fusus per totum
hunc syllogismum multis ac multiplicibus er-
roribus scatentem, quòd vim, naturámque fi-
dei planè extinguat: qua de re fusè disseruis-
mus in responsione nostra ad obiect. 9. Sic e-
nim illi opinantur, Veteres non potuisse spiri-

tualiter & per fidem coniungi cum ipso Christo Θεαντρώπῳ, antequam ipse Christus mundo exhiberetur, quod est falsissimum & naturæ fidei omnino repugnat: cuius ea vis est, eaque natura, vt nullis vel temporum vel locorum spatiis possit impediri. Sic enim Apostolus de fide Veterum disserens, *fides est*, inquit, *rerum sperandarum* ὑπόστασις, hoc est, substantia, vel subsistentia: quorum verborum sensus stare non potest, si fides intercluditur vllis tẽporum interuallis. Res enim quæ sperantur futuræ sunt, quas fides in animis piorum à Spiritu Sancto ingenita præsentes habet. Quo fit vt Christus dicat, Abrahamum vidisse diem ipsius & gauisum esse. Non enim inscitè Clemens Alexandrinus: Πίστις, inquit, φερὶ τὸ ὑπόστασις. Itaque, licet priscis illis temporibus, humana natura nõdum esset assumpta à λόγῳ, erat nihilominus præsens fidei piorum Veterum, quæ iam eos cum Christo nascituro coniungebat. Hæc enim Apostoli verba sunt expendenda: *In libro vitæ Agni* (inquit) *mactati iam inde à iactis mundi fundamentis*. Nunc autem, post Christum exhibitũ, ipsa cum Christo spiritualis per fidem coniunctio magis quidem elucet, sed est tamen eadem coniunctio reipsa, & differentia est, secundùm plus & minus circa idem. Nam (si quidem res tanta aliqua similitudine saltem tenuiter adumbrari potest) quemadmodum lux Solis quæ sub auroram

Heb. 11.

Ioan. 8.

Stromat. l. 4

Apoc. 13.

ram, noſtris oculis oboritur, eadem eſt lux, quæ meridie pleniſſimè refulget: ita Chriſtus qui fuit olim naſciturus, &, Chriſtus qui iampridem natus eſt, idem eſt Chriſtus. Sic enim Apoſtolus: *Ieſus Chriſtus heri & hodie idem eſt & in ſecula.* Atque id Auguſtinus hiſce verbis exprimebat: ante aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti præceſſerunt Iuſti ſic in eum credentes venturum, quomodo nos credimus in eum qui venit: Tempora variata ſunt, non fides. Alium ſonum habet, *venturus eſt*, Alium ſonum habet, *venit*. Mutatus eſt ſonus *venturus & venit*: eadem tamen fides vtroſque coniungit, diuerſis quidem temporibus, ſed vtroſque per vnum fidei oſtium, hoc eſt, per Chriſtum videmus ingreſſos &c. Illos enim oſtendit Apoſtolus, vbi ait: habentes eundem ſpiritum fidei. Idem Auguſtinus alibi: *Venturus* & *Venit* diuerſa verba ſunt, inquit, ſed idē Chriſtus. Et paulò antè: Patres noſtri, inquit Paulus, eundem cibum ſpiritualem manducauerunt, & eundem potum ſpiritualem biberunt. Erant enim ibi qui quod manducabant, intelligebant, & quibus plus Chriſtus in corde, quam manna in ore ſapiebat. Idem, alludens ad Iacob qui priùs quàm naſceretur, manus emiſit ex vtero: Chriſtus, inquit, antequam appareret in carne, vt quodammodo ex vtero ſecreti ſui ad hominum oculos mediator Dei & hominū homo procederet, qui eſt ſuper om-

Heb. 13. In Ioan. Tract. 45.

De vtilit. pœnit. C. 13

De Catech. rud. c. 3. & c. 19.

nes Deus benedictus in secula, præmisit in sanctis Patriarchis & Prophetis quandam partem corporis sui, qua velut manu se nascturum esse prænuntiavit &c. Tamen ipse est caput corporis Ecclesiæ: illique omnes eidem corpori cuius ille caput est, cohæserunt credendo in eum quem prænuntiabant. Non enim præcurrendo diuulsi sunt, sed adiuncti potius obsequendo. Nam etsi manus à capite præmitti potest, connexio tamen eius sub capite est. Idem aliquantò pòst: Omnes Sancti qui ante Christi natiuitatem in terris fuerunt, quamuis antè nati sint, tamen vniuerso corpori cuius ille caput est, sub capite cohæserunt. Idem alibi: Christus antè aduentum incarnationis suæ præmisit quædam membra sua, post quæ prænuntiat se venturum. Venit & ipse cóngressus eis, refert ad similitudinem nascentis illius, quia manus ante caput procedens, & cum capite est, & sub capite &c. Præcessit manus, sed tamen capiti connectebatur & manus. Hæc Augustinus, & piorum Veterum, & nostram simul causam agens. Quinetiam, quum ipse Christus sacram Cœnam institueret, nec dum esset passus, tamen fecit Apostolos sui mortis paulò post futuræ participes: & quamquam sanctissimũ & absolutissimum sui ipsius sacrificium nondum obtulisset in cruce, nihilominus tamen Apostoli Sacram Domini Cœnam participantes, vim effectumque ipsius sacrifi-

In psal. 67.

sacrificij futuri iam tunc persenserunt. Sed de hoc quidem syllogismo, hactenus. Quia verò solent Aduersarij nonnulla ex Patrum scriptis decerpere quæ suæ sententiæ prætexant, eos etiam hac in parte audiamus.

CAPVT V.

SOlent Veteres, quum de Cœna Domini loquuntur, vsurpare passim hæc vocabula, figura, signum, ἀντίτυπον. memoria, Commemoratio, & quæ eôdem referuntur: quippe, qui nitantur his Apostoli verbis: *Mortem Domini annuntiatis, donec veniat:* & Christus: *In memoriam mei facietis*, inquit. Quinetiam exponunt ipsam manducationem Corporis Christi de fide: ita vt nihil sit aliud, Manducare Carnem Christi, & Bibere eius Sanguinem, quàm, credere in Christũ. Quare in S. Cœna non est vera communio Corporis Christi, sed in ea nobis tantùm eius beneficia proponuntur.

1. Cor. 11. Matth. 26.

RESPONSIO.

FAllit Consequens propter vitia Antecedentis. Error περὶ τὴν ἄγνοιαν τοῦ ἐλέγχου. Nam (vt omittamus, fidem nostram humana authoritate non niti) scripta Veterum in alienum sensum detorquent. Veteres enim Sacra symbola nobis in Cœna Domini proposita

solent quidem appellare signa, sed non ita vt signa nuda sint, quemadmodum isti autumant. Alioquin Cœna Domini non esset Sacramentum, quandoquidem satis constat in Theologia, Sacramentum constare duabus rebus, signo, videlicet, & re significata, vt alibi diximus. Quod etiam perspicuum est ex ipsius signi natura, & ex doctrina Relatorum. Itaque
lib. 4. c. 34. recte censuit Irenæus Eucharistiam duabus rebus constare, terrena & cœlesti. Præterea obseruandum est, Sacra illa symbola, non tantùm esse Signa, verùm etiam Sigilla (quemad-
Rom. 4. modum Paulus de Circuncisione loquutus est quum eam vocat σημεῖον, & σφραγῖδα) adeò vt non sit in ipsis signis subsistendum, sed deueniendum potius ad res eas quæ Sacris symbolis & significantur & obsignantur. Iam autem ex superiori disputatione spero confectum esse, in Sacra Domini Cœna nobis proponi spiritualem & arctissimam cõiunctionem Christi nobiscum, ac proinde spiritualem & mysticam communionẽ Carnis & Sanguinis ipsius. Cuius rei quum Sacra symbola sint signa, sigilláque, vti diximus: consequitur profectò, vocabula illa apud Veteres vsurpata confirmare nostram sententiam, nedum posse eam labefactare. Sic igitur argumẽtum in aduersarios retorqueamus.

Si Sacra symbola quæ nobis in S. Cœna proponuntur sunt figuræ, signa & ἀντίτυπα Corpo-

Corporis & Sanguinis Iesu Christi & spiritualis, mysticæ & arctissimæ coniunctionis quæ per fidem nobis cum ipso Christo interedit (vt Veteres tradiderunt:) Ergo, qui cum fide S. Domini Cœnam, ex ipsius Instituto celebrant, spiritualiter & arctissimè cum Corpore & Sanguine Iesu Christi, adeóque cum ipso Christo coniunguntur, eiúsque spiritualiter per fidem participes fiunt: idque ex ipsorum Veterum sententia.

Idem dicimus de Memoria & Commemoratione, quibus vocabulis vtuntur Veteres, non ad imminuendam, sed ad amplificandam huiusce mysterij dignitatem. Absit enim vt sit nuda quædam & tantùm historica commemoratio: sed ille simul nobis offertur, cuius Mors & Passio commemoratur. Nam Christus non commemoratur mortuus simpliciter, sed mortuus pro nobis, adeóque pro iis omnibus qui vera fide beneficium hoc oblatum percipiunt.

Atque id ex ipsius Christi verbis intelligi potest. *Hoc est*, inquit, *Corpus meum quod pro vobis datur. Hoc facite in mei recordationem.* Et Paulus, ad cruciatum Corporis alludens: *Corpus quod pro vobis frangitur*, inquit. Atqui nunc demum percipimus fructum Mortis ac Passionis Christi, quum ipsum Christum possidemus, & cum eo arctissimè coniungimur. quemadmodum superiora nostra argumenta

Luc. 22.

1. Cor. 11.

ex clarissimis certissimisque Scripturæ locis deprõpta, ac proinde omni exceptione maiora, confecerunt. Et certè Paulus docet tunc demum nos esse Mortis Christi participes, quando, *cum eo plantati* (inquit) *coaluimus conformatione Mortis eius*. Item: *Qui propriæ filio non pepercit sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non etiam cum eo omnia nobis gratificabitur?* Ergo Christus pro nobis mortuus est, vt nobis detur cum omnibus suis beneficiis: quo fit, vt in commemoratione Mortis Christi in Cœna Domini, adhibitis Sacris symbolis & sigillis, non solùm Christi beneficia (vt isti volunt) sed Christus ipse cum suis beneficiis nobis detur. Itaque, idem Apostolus, posteaquàm dixit Christum fuisse pro nobis mortuum & à mortuis excitatum, subiicit: *Quis nos separabit à charitate Christi?* Eóque spectat quod ipse docet, Ecclesiam in Corpore Christi esse cum ipso Christo sponso, coniugio spirituali coniunctam. Et alibi, *Si vnus pro omnibus mortuus est, certè omnes mortui sunt: Et pro omnibus mortuus est, vt qui viuunt, posthac non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit, &c. Si quis igitur est in Christo, noua creatura est.* Et alio in loco: *Vna cum Christo crucifixus sum: viuo autem, non amplius ego, sed viuit in me Christus, & vitam quam nunc viuo in carne, viuo per fidem Filij Dei, qui dilexit me & tradidit semetipsum pro me.* Item: *Mortui*

Rom.6. Rom.8.

Rom.7.

2.Cor.5.

Gal.2.

Col.3.

estis,

[illegible] & vita vestra abscondita est cum Christo in [illegible] & Petrus: *Peccata nostra portauit in corpo-* 1.Petr.1.
re suo super lignum, vt peccatis mortui, iustitiæ [illegible]. Sed nihil videtur expressius his [illegible] verbis: *Christus mortuus est pro nobis, vt* 1.Thess.5.
[illegible] vigilemus, siue dormiamus, simul cum eo vi- [illegible]. Ecce tibi quorsum fiat Commemora-[illegible] Mortis Christi in S. Cœna, nempe vt intel-ligamus, tunc demum Mortem Christi nobis proficere, si cum ipso fuerimus arctissimo vinculo coniuncti.

Iam quod apud Veteres aliquando scriptũ reperias, Manducare Christum, esse, Credere in Christum. Non parandos dentes, nec ven-trem: nam, si credimus, manducauimus. Item: Iudæos, credendo, bibisse Sanguinem quem sæuiendo fuderant, & quæ sunt eiusmodi: illa quidem verissimè dicuntur. Ex his enim datur intelligi, manducationem Corporis Christi esse Spiritualem, & fieri fide, ne quis fortè hoc errore ducatur, vt existimet, in hoc mysterio agi de crassa & corporali manducatione, qui fuit error Capernaitarum. Modum igitur hu-iusce manducationis Veteres nobis propo-nunt, neque propterea tollunt eius definitio-nem & formam. Est igitur error non feren-dus, quum putant, posito rei modo, instrumẽ-to, & ratione, tolli propterea formam. Quòd longè secùs est. Sic enim potius fuit ad ipsius formæ cognitionem perueniendum. Itaque

ego Theologicè quidem dixero: Crede, & remissa sunt tibi peccata, nec propterea sequetur, Remissionem peccatorum nihil esse præter fidem. Enimvero quum isti toties inculcat verbum istud Augustini: Crede, & manducasti. Obsecro te, quid debui credere vt manducauerim? An non, credere Christum pro me passum & à mortuis excitatum fuisse, vt verè cum ipso spiritualiter coniunctus, beneficiorum ipsius sim particeps? Nihil igitur isti afferunt ex Veteribus quod nostram lædat sententiam, quum illi potiùs eam egregiè confirment. Quod vt magis fiat manifestum, iam audiamus ipsos Veteres suis verbis suam explicantes, & nostram confirmantes sententiam.

Caput VI.

Cypr. de orat. Dominica.

PAnem nostrum, id est, Christum dari nobis quotidie petimus, vt qui in Christo manemus & viuimus, à sanctificatione eius & Corpore non recedamus.

Ibidem.

Manifestum est eos viuere qui Corpus Christi attingunt, & Eucharistiam iure communicationis accipiunt.

Idē de Cœna Dom.

Dixerat sanè huius traditionis Minister quòd nisi manducaremus eius Carnem & biberemus eius Sanguinem non haberemus vitam in nobis: spirituali nos instruens documento & aperiens ad rem adeo abditam intel-

lectum,

lectum, vt sciremus quòd mansio nostra in ipso, sit manducatio, & potus quasi quædam incorporatio, subiectis obsequiis, voluntatibus junctis, affectibus vnitis. Esus igitur Carnis huius, quædam auiditas est & quoddam desiderium manendi in ipso, per quod sic imprimimus & eliquamus in nobis dulcedinem charitatis, vt hæreat palato nostro & visceribus sapor dilectionis infusus, penetrãs & imbuens omnes animæ corporisq; recessus. Potus & esus ad eandem pertinet rationem, quibus sicut corporea nutritur substantia & viuit, & incolumis perseuerat: ita vita spiritus hoc proprio alimento nutritur: & quod est esca carni, hoc animæ est fides: quod cibus corpori, hoc verbum Spiritui: excellentiori virtute peragens æternaliter, quod agunt alimenta carnalia temporaliter & finaliter, &c.

Nos ipsi Corpus Christi effecti, Sacramento & re Sacramenti Capiti nostro connectimur & vnimur: singuli alter alterius membra, eandem cibum manducantes, & eundem potum bibentes, qui de petra Spirituali profluit & emanat, qui cibus & potus est Dominus noster Iesus Christus. Ibidem.

Fiunt Corpus Christi si volunt viuere de vita Christi, de quo non viuit, nisi Corpus Christi, &c. Qui vult viuere, habet vbi viuat, habet vnde viuat: Accedat, credat, incorporetur vt viuificetur, &c. Viuat Deo de Deo, &c. Aug. Serm. excerp. 38. In Ioan. Tract. 26.

Idē in Ioā. Tract. 27. Hoc est manducare illam escam & illū bibere potum, in Christo manere, & illum manentem in se habere, ac per hoc qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, proculdubio nec māducat Spiritualiter Carnem eius, nec bibit eius Sanguinem, licet carnaliter & visibiliter premat dentibus Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi.

Ibidem. Dominus nobis commendauit in manducatione Carnis suæ vt in illo maneamus & ipse in nobis. Manemus autem in illo quum sumus membra eius: manet autem ipse in nobis quum sumus templum eius: vt autem simus membra eius, vnitas nos compaginat: vt compaginet vnitas, quid facit nisi charitas quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritū Sanctum qui datus est nobis? Spiritus non vegetat membra nisi quæ sunt in corpore.

Idē de verbo D. Ser. 28. Non isto panis qui vadit in corpus, sed ille Panis vitæ æternæ qui animæ nostræ substantiam fulcit.

De ver. Ap. Ser. 2. Tunc vita vnicuique erit Corpus & Sanguis Christi, si quod in Sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritualiter manducetur, spiritualiter bibatur.

Aug. de Ciuit. Dei. l. 21. c. 25. Dicens: Qui manducat Carnem meam & in me manet, &c. ostendit quid sit non Sacramento tenus, sed re vera Corpus Christi manducare, & eius Sanguinem bibere, hoc est enim in Christo manere, vt in illo maneat &

Chri-

Christus tanquam diceret, Qui nõ in me manet, & in quo ego non maneo, non se dicat existimet manducare Corpus meum, aut bibere meum Sanguinem.

Sacramentum aliquod commẽdaui vobis, spiritualiter intellectum viuificabit vos. Idem in Ps. 98.

Sacramentum illud ideo hominibus datur, vt corpus in terris capiti coaduneturSicut ex multis grana vnum panem conficiunt, & ex multis racemis vnum vinum extrahitur, sic ex multis hominibus Christi Corpus conficitur. Aug. Serm. 28. ad fratres in Eremum.

Ascendit in cœlum Corpus Christi, &c. Respondeat aliquis, quomodo tenebo absentem? quomodo in cœlum manum mittam vt ibi sedentem teneam? fidem mitte, & tenuisti: parentes tui tenuerunt carne, tu teneto corde. Idem in Ioã. Tr. 50.

Spiritus est qui viuificat; caro nihil prodest, ad viuificandum, scilicet: Sermonem constituens viuificatorem, eundem etiam Carnem suam dixit, quia Sermo factus erat caro: proinde in cansam vitæ appetendus, & deuorandus idem & ruminandus intellectu, & fide digerendus. Tertul. de Resur. carnis.

Caro Christi hodie nobis, sed spiritualiter atque non corporaliter exhibetur. Christus manducat nos, & manducatur à nobis, quo illi glutinamur & vniamur. Nam si manduco & non manducor, videbitur ille esse in me, sed Bernardus in festo Martyrum. Idem. sup. Cãt. Ser. 71.

ego nondum in illo, &c. Anima non antè existimet ipsi se perfectè vnitam, nisi quum & illum in se, & se in illo manentem persenserit.

Hieron. homil. de Corpo. & Sang. Christi.

Quum reuerendo altari cœlestibus cibis satiandus accedis, Sacrum Dei tui corpus & Sanguinem mente continge, cordis manu suscipe, & maximè haustu interiori assume.

Ambros. de iis qui myst. init. c. 8.

Ista esca quam accipis, est Panis viuus qui descendit de cœlo, vitæ æternæ substantiam subministrat, & quicunque hunc manducauerit, non morietur in æternum: & est Corpus Christi.

Cyrillus de Trinit. l. 6. Idē in Ioā. lib. 4.

Postquam Christus ascendit ad Patrem, in nobis est per Spiritum. Item: ego resuscitabo eum, &c. Ego, inquit, hoc est Corpus meum quod comedetur.

Ambr. vbi sup. c. 9.

Caro Christi est Corpus vitæ, &c. In illo Sacramento Christus est, quia Corpus est Christi: non ergo corporalis esca, sed spiritualis est, &c. Cor nostrum esca ista cōfirmat, & potus iste lætificat cor hominis.

Ibid.

Quotiescunque bibis, remissionem accipis peccatorum, & inebriaris Spiritu. Qui autem Spiritu inebriatur, radicatus in Christo est.

Ibid. lib. 6. c. 4. de Sacr.

In similitudine quidem accipis Sacramentum, sed veræ naturæ gratiam virtutemque consequeris. Ego sum, inquit, Panis viuus qui de cœlo descendi.

Idem.

Dominus noster Iesus Christus consors est & Diuinitatis & Corporis, & tu qui accipis eius

ius Carnem, Diuinæ eius ſubſtantiæ in illo participaris elemento.

Cogita quali ſis inſignitus honore, quali menſa fruaris. Quod Angeli videntes horreſcunt, neque liberè audent intueri propter emicantem inde ſplendorem, hoc nos paſcimur, huic nos vnimur & facti ſumus vnum Chriſti Corpus & vna Caro, &c. Ipſe nos proprio Sanguine paſcit, & per omnia nos ſibi coagmentat, &c. Vnicuique fidelium ſemetipſum per myſterium commiſcet, & quos genuit, per ſemetipſum enutrit, &c. Vt infantes labia vberibus infigunt, ita nos ex vberibus ſpiritualis poculi trahimus Spiritus Sancti gratiam. Chryſo. ad pop. Ant. hom. 60.

Chriſtus ſemetipſum nobis immiſcuit, & Corpus ſuum in nos contemperauit, vt vnum quid efficiamur tanquam corpus capiti coaptatum. Ardenter enim amantium hoc eſt, Iob. 31. quis dederit nobis de carnibus eius impleri. Hom. 61.

Intellectualibus oculis ipſum intueamur, &c. Nihil ſenſibile nobis Chriſtus tradidit, &c. Res quidem ſenſibiles, omnes autem intelligibiles. In Baptiſmate Res ſenſibilis, aqua: Res intelligibilis, Regeneratio, &c. quoniam anima corpori inſerta eſt, in ſenſibilibus intelligibilia præbet, Non fide tantùm, ſed etiam reipſa nos ſuum efficit Corpus. Hom. 61. Ibidem.

Idem hom. de Spiritu Sancto.

Spiritus Sanctus corda nostra Christo conglutinat. Copula est Vnionis nostræ in Christo, &c. Cor transfert à terrenis ad cœlestia, facit animam ad Deum volare.

Ibidem.

Vniuntur Petrus & Paulus, quia fideles omnes sunt συγκοινωνοὶ quanuis sint procul dissiti: quia vtriusque vnio est cum Christo. Itaque multò magis vniuntur cum Christo: quamuis Christi Corpus sit in cœlo & ipsi in terra.

Hæc & multa alia eiusmodi apud Veteres occurrunt. Quanquam autem in Veterum scriptis nonnulla fortassis occurrunt quæ duriuscula & καθ' ὑπερβολὴν dicta videri possint, tamen quid antiquitas senserit de hoc mysterio, colligendum est, non ex aliquot vocabulis, sed ex eo sensu, eaque sententia in qua Veteres præstantiores constanter & aperte consentiunt. Qua de re nobis erit in sequenti Tractatu copiosius disserendum aduersus Pontificios, qui ad Veterum aliquot vocabula adhærescentes, eorumque sentẽtiam negligentes, inde sibi præclare videntur suos de Transsubstantiatione errores confirmare.

Superest vt ex ratione nostræ Methodi πρῶτον ψεῦδος Aduersariorum & fontes errorum in quibus versantur, indicemus: quos hac nostra Disputatione obstructos esse confidimus. Atque, vt paucis rem totam comprehendamus, quemadmodum suprà docuimus, nostram

[illegible] ἐκκλησίαν esse consentaneam iis quæ Scriptura tradit de Christo, de Ecclesia, de Spiritu Sancto, de Fide, de Sacramento Eternæ Domini: Ita possumus affirmare, Adversariorum errores hinc manare, quòd in iis ipsis quinque, iisdémque præcipuis doctrinæ Christianæ capitibus, à Scriptura dissentiant.

1. Etenim nullam nobis cum ipso Christi Corpore intercedere posse coniunctionem existimant, nisi Corporalem, néque agnoscũt, hanc cum Christi Carne & Sanguine, adeóque cum ipso Christo communionem esse ὑπερφυσικὴν & supernaturalẽ. Deinde de Christi Corpore ita loquuntur vt si in hoc mysterio seorsum intelligendum esset, non solùm à Diuina natura, sed etiam ab anima humana, qua Christus verus homo præditus est.

2. Non satis norũt quid sit Ecclesia: nempe Corpus Christi: ac proinde cum ipso Christo, θεανθρώπῳ vero Deo & vero homine mystice & arctissimè coniuncta.

3. Spiritus Sancti efficaciam in hoc mysterio non intelligunt, sed subsistũt intra cancellos humanæ & naturalis facultatis: nec intelligunt quid sit mystica & spiritualis coniunctio.

4. Fidei vim & naturam planè euertunt: quandoquidem eam cum Imaginatione & mentis conceptu atque comprehensione confundunt, eámque locorum spatiis interclu-

dunt. Nos enim in hoc mysterio, nomine Fidei, non intelligimus Fidem tantùm historicam: sed eam quæ amplectitur promissiones Euangelicas in Christo, eásque sibi applicæ ad salutem: ipsúmque Christum cum suis beneficiis verè apprehendit.

5. Sacramenti neque naturam neque vsum tenent, quippe quum signa propemodum inutilia constituant: quum tamen Augustinus verè dixerit: Signa sacra inutiliter interpretari, esse malè vagantis erroris. Porrò, res significatas non eas retinent quas Christus proposuit: sed pro ipso Corpore & Sanguine, cuius panis & vinum signa sunt, beneficia Mortis Christi substituunt. Quos quidem errores & pleroſque alios consimiles certissimis Scripturæ testimoniis refutatos, & incommodis longè grauissimis à nobis profligatos esse cõfidimus.

De Doctr. Christ. l. 3. c. 9.

Quæ quum ita sint, & ea quæ diximus clarissimè luceant in Scriptura, eáque sint cum fidei Christianæ capitibus ἀνάλογα & Consentanea: quæ verò ab Aduersariis afferuntur, à Scriptura & ab ipsis Orthodoxæ fidei capitibus dissentiant, & secum multos eosdémque grauissimos errores inuehant: maneat nostra, hoc est, Orthodoxa ac verè Christiana sententia ipsius veritatis firmissimo fundamento subnixa: nempe:

Omnes

Omnes verè Christianos Cœnæ Domini ipsius Instituto communicantes, manducare Corpus & bibere Sanguinem Iesu Christi, Spiritualiter, efficacitate Sancti Spititus, per fidem ex Sacris symbolis verbum Dei obsignantibus, magis magísque confirmatam, & esse illius Corporis & Sanguinis adeóque ipsius Christi συσσώμους verè participes, ac proinde eorum omniũ bonorum quæ Christus sua Morte & Obedientiâ nobis comparauit ad vitam æternam, animíque & Corporis cumulatissimam felicitatem assequendam.

Faxit Æternus ille Pater vt Spiritu Sancto in animis nostris operante, & eius radiis accensa in nobis fide, discussis errorum omnium tenebris, purissimam huiusce Sanctissimi Mysterij lucem intueri, & arctissimam cum Domino nostro Iesu Christo, vero Deo & vero Homine, vero illo Pane viuifico communionem: ac proinde, vitam felicissimam & æternam habeamus.

Amen.

LAVS DEO.